~~Waechtio~~

De
Architriclino
Iohann II,8

I.M. VNOLD

DISSERTATIO

DE

ARCHITRICLINO

IOANN. II. 8

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

ERN. AVG. CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM

ANGARIAE ET WESTPHALIAE RELIQVA

PRAESIDE

IOANNE ERNESTO IMMAN. WALCHIO

PHIL. DOCT. ET PROFESS. PVBL. SOCIET. LAT. DIRECT. ROMANAE

ARCAD. ET FLORENTIN. COLVMBARIAE COLLEGA

D. V. MAII CIↃ IↃ CC LIII

PVBL. ERVDIT. DISQVISIT. SVBMITTIT

IOANNES MATTHAEVS VNOLD

MEMMINGA SVEV. SS. LL. CVLT. ET SOC. LAT. COLLEG. ORDIN

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS

Nobilissimo atq

SKELL

DISSERTATIO
DE
ARCHITRICLINO

ΣΥΝΟΨΙΣ

Postqvam *breuiter indicatum est, nuptiali illi apud* IOANNEM *conuiuio architriclinum adhibitum fuisse,* §. I.

ad quaestionem: sitne huius ratio ex iudaicis ritibus cognoscenda; an profanis? respondetur ac, iudaeis architriclinum incognitum olim fuisse; didicisse eos vero eius vsum a Romanis, ostenditur. §. II. III. IIII

His expositis, primum diuersae interpretum aliorumque de hoc architriclino eiusque officio sententiae enarrantur: §. V. VI. VII

deinde cum de origine ac significatione vocabuli ἀρχιτρίκλινος; *tum de ipsis veterum, quae huc spectant, effatis disseritur.* §. VIII - XIII

Monstratur porro, quid ex ipsis his in medium adductis veterum auctorum locis ad curatius inuestigandam seruilis huius officii rationem possit confici, §. XIIII-XVIIII

ac explicatur denique architriclini conditio, cuius Ioannes mentionem fecit, eiusque, quod gessit, muneris ratio ex iis, quae in profanis monimentis de hoc seruili munere memoriae prodita sunt, diiudicatur. §. XX. XXI

A §. I.

I

SERVATOR optimus maximus, quum nuptiale illud, quod Canae actum esse, legimus, conuiuium insigni miraculo nobilitare: ex aqua vinum efficere ac per id infinitae suae ac vere diuinae virtutis specimen edere vellet, iussu eius aquam in sex ibi posita solia; postea vero a seruis, quibus id imperatum fuerat, in crateras; aut alia minora vasa infusam esse, IOANNES disertis verbis memoriae prodidit. Addit ibidem diuinus scriptor, plenas crateras, antequam coenaculo inferrentur, ad ἀρχιτρίκλινον, sic enim est in sacris tabulis, portari, seruatorem iussisse: ministros diligenter egisse datum sibi negotium; ἀρχιτρίκλινον vero, eorum, quae gesta essent, plane inscium, oblatum sibi vinum gustasse: gustatum mirifice laudasse ac illo, quod datum a sponso conuiuis esset, longe praestantius se habere, haud obscure significasse. Liceat nobis in praesenti, omnia, quae in nuptiis his peracta esse, legimus, missa facere, ac ἀρχιτρίκλινον hunc curatius intueri. Id eo maiori iure facere nos posse, arbitramur, quod in hoc tam illustri ac celebri conuiuio omnia fere circumspexerunt nostri oraculorum interpretes ac modo in nouum cum eius sponsa maritum: modo in conuiuas: modo in mirabile illud vinum: modo denique in suppellectilem epularem, in solia nimirum lapidea, suos defixerunt oculos; nostrum vero ἀρχιτρίκλινον in hac rerum multitudine, ἐν παρόδῳ, vt Graeci aiunt, et velut aliud agendo sunt contemplati.

II

QVVM nuptiale hoc conuiuium Canae adparatum esse, non ignoramus, ac inter omnes constat, qui tum matrimonii foedus inirent, fuisse Iudaeorum sacris addictos, quaestio haud ex vano videtur nobis posse adferri: sitne architriclini huius

ratio

ratio ex iudaicis ritibus cognoſcenda; an profanis? In vtramque partem video ea in re diſceſſiſſe interpretes. Sunt, qui ex iudaicis fontibus noſtri argumenti illuſtrationem hauriendam eſſe arbitrantur; abeunt vero itidem in diuerſas ſententias. Nonnulli, iudæis olim, vti Græcis et Romanis, *ἀρχιτρικλίνȣ* munus et officium haud incognitum fuiſſe, ſtatuunt illosque ſuum בעל משתה ſiue *ἀρχιτρίκλινον*, a בעל הבית ſiue *οἰκοδεσπότῃ* diſtinctum, habuiſſe, opinantur. Sententiam hanc ſuam potisſimum ex antiquioribus fecit GAVDENTIVS, Philaſtrii in epiſcopatu Brixienſi anno circiter CCCLXXXVIII. ſucceſſor. *Nuptiæ*, inquit *a*), *apud Iudæos quum fierent, vnus, quantum traditione comperimus, dabatur de ſacerdotali ordine, qui morem diſciplinæ legitime gubernaret, curamque pudoris gereret coniugalis, ſimul et conuiuiorum adparatum, miniſtros atque ordinem diſpenſaret, et hoc pro officio architriclinus, id eſt:* triclinii præpoſitus *dicebatur.* IAN. GRVTERVS *b*), eamdem ſententiam amplectens, *quod apud Romanos et Græcos obtinuerit, vt in conuiuiis magiſter aliquis crearetur, Ebræis quoque fuiſſe vſitatum, colligere ſe ex Ieſu Sirach, cap.* XXXII. diſerte profitetur. En verba SIRACIDIS, in quibus ſententiæ huius patrocinium inueniſſe ſe, credit vir celeberrimus: *ſi magiſter factus es, noli efferri; eſto inter alios, quaſi vnus eorum. Cura eos, deinde ſedeto et, tuo munere rite perfunctus, adcumbe.* Idem fere MALDONATVS aliique *c*) de recitatis his verbis ſtatuunt, Iudæosque in ſuis conuiuiis eiusmodi architriclinos habuiſſe, haud obſcure ſignificant. His quodammodo CAESAR BARONIVS *d*) et IO. CONR. DIETERICVS *e*) ſunt adiungendi, vterque

a) *tractatu de lectione euangelii* Io. II, 2. ſq. qui inter reliquos huius ſcriptoris nonus eſt, *tom.* V. *biblioth. max. patrum* p. 958. ed. Lugdunenſ.

b) *not. in Plauti Pers. act.* V. *ſcen.* 2. Adde THOM. GOODWINVM *Moſ. et Aaron. libr.* II. *cap.* 3. §. 26.

c) vid. IO. CONR. DIETERICI *ant. bibl. nou. teſt.* p. 152.

d) *annal. ad ann. Chriſti* XXXI. *num.* 29.

e) *antiquitatibus biblicis noui teſtamenti*, p. 152.

que ſaltem, GAVDENTII verbis ad illuſtrandum noſtrum effatum confirmandaque ea, quæ ibi de architriclino dicuntur, vſus, ipſa hac ad illud prouocatione in eamdem diſcesſiſſe ſententiam, et mihi et aliis videtur. Quomodocunque tamen res ſeſe habeat, errant, qui vel GAVDENTIVM ſequuntur; vel officii huius, de quo diſputamus, in Iudæorum conuiuiis veſtigia apud IOSVAM, Sirachi filium, dicto illo loco deprehendi, ſibi perſuadent. Præterea enim, quod GAVDENTIVS, vt recte monuit ISAACVS CASAVBONVS *f*), architriclinum cum præfecto morum, in ſollemnioribus epulis publice conuiuis adponi ſolito, confundat, ipſi, quarti demum ſeculi ſcriptori, neutiquam tantam, credo, dari poſſe fidem, quanta ad rem aliquam, aliquot ante ſeculis geſtam, rite confirmandam, iure meritoque requiratur, ne dicam, iudaico ſacerdoti, quod haud inepte pronuntiauit SAM. BASNAGIVS *g*), non admodum decorum fuiſſe architriclini ſeruile officium, hisque omnibus misſis, parum ex ipſo hoc effato vel eam ob cauſſam poſſe effici, quod GAVDENTIVS ex *traditione* ſolum id comperiſſe ſe, dicat et, præter hæc, minus exploratum ſit, de quibusnam temporibus, quorum tamen potisſimum hac in quæſtione habendam puto eſſe rationem, ſacrorum Brixienſium præſul iſte loquatur. Neque vero non pedem offendiſſe mihi videntur IANVS GRVTERVS et cum ipſo omnes, qui apud SIRACIDEM architriclini huius mentionem factam eſſe, opinantur. Qui enim non videat, arbitror, fore neminem, optimum hunc ſcriptorem neutiquam de miniſtro, conuiuiorum adparatui adhibito; ſed de duce et præſide quodam, conuiuis dato, loqui, qui cum his ad menſam accubuerit, et alias *ſympoſiarcha* ſit dictus, quod recte ad hunc locum IOANN. DRVSIVS, HVGO GROTIVS aliique interpretes docent. Accedit, eum ita ibi deſcribi, vt de viro valde honorato ſermonem eſſe, luculenter pateat, quem conuiuæ tanquam ducem ſibi, durante conuiuio, elegerint, quemque, ne

ſeſe,

f) *exercitat. antibaron.* XIII. *cap.* 19. p. 241.

g) *annal. politico-eccleſ. ad ann.* XXIX. §. 42. p. 269.

ſeſe, tanto hoc ſibi oblato honore, efferat, diligenter cauere iubeat SIRACIDES. Quæ vero omnia quomodo in architriclinum miniſtrum cadant; aut cum ipſius ſeruili officio vel vllo modo posſint conferri et comparari, me non videre, libentisſime fateor *h*).

III

IDEM de iis tenendum eſſe, iudico, qui cum THEODORO BEZA *i*) architriclini huius MOSEN *k*) meminiſſe, arbitrantur atque in his eius verbis: וַיַּרְא יוֹסֵף אִתָּם אֶת־בִּנְיָמִין וַיֹּאמֶר לַאֲשֶׁר עַל־בֵּיתוֹ. *poſtquam in conſpectu Ioſephi conſtiterunt, Ioſephus, viſo cum eis Beniamine, ei, qui domui eius præfectus erat, dicit*, id, quod diſputamus, ſeruile munus inueniſſe, ſibi videntur. Sic vero, opinor, exiſtimant, quod apud Moſen miniſtro huic Ioſephum præcepiſſe, vident, vt fratres eius *in domum duceret et lanienam curaret atque præpararet, eos enim ſecum cibum meridianum capturos.* Quæ quidem verba etiamſi ſpeciem aliquam probabilitatis præ ſe ferre, haud penitus negauero, præſertim quod architriclinum, vti hunc Ioſephi miniſtrum, potus et cibi curam habuiſſe, infra oſtendam; attamen curatius hoc modo recitatum effatum intuentibus aliter prorſus res videbitur. Videbitur tibi certe, ſi diſpenſatores et œconomos veterum ab architriclinis diuerſos fuiſſe, cogitaueris; neque, ſi illos pasſim horum officio perfunctos eſſe, legas, continuo vtriusque munus inter ſe miſcendum et diſpenſatorem pro architriclino habendum eſſe, credideris. Ipſa deinde ratio nominis, quod datum huic miniſtro in ſacris tabulis eſſe, legimus, ſatis ſuperque videtur mihi vincere, eius munus, latius; quam architriclini, patuiſſe: hunc prandio et cœnæ, epulis ac conuiuiis; illum contra toti rei domeſticæ, vt apud romanos et græcos οἰκονόμον et diſpenſatorem, fuiſſe præfectum.

h) adde ISAAC. CASAVBONVM *loco excitato.*

i) *ad hunc loc.*

k) *genes.* XXXXIII, 16.

Quid multa? num, quæſo, hoc effato firmiorem reddi credamus eorum ſententiam, qui Iudæos in ſeruorum familia architriclinos olim habuiſſe, contendunt; ſi quoque in illo architriclinum in Ioſephi miniſtris numerari, detur? Tantum abeſt, vt id, perſuaderi mihi, patiar, vt architriclinum, ſi cuius etiam mentio ibi facta, apud Aegyptios potius in vſu fuiſſe, tamdiu credam, quamdiu certum, opinor, eſſe et exploratum, Ioſephum, quoad externum vitæ cultum ſpectamus, non iudaicis; ſed ægyptiacis ritibus et inſtitutis tum vixiſſe. Hæc tam manifeſta ſunt, vt maiore luce vix egeant. Quid vero? ſi quis ex *regum primo libro l)*, ex iis nominatim, quæ ibi de Salomonis aulico et magnificentisſimo adparatu habentur, probabilem quodammodo reddi eorum putet ſententiam, qui diuitum Iudæorum ædibus architriclinos olim haud defuiſſe, contendunt? Credant, qui velint, Salomonem in ſeruorum familia architriclinos habuiſſe; videant tamen ſimul, partim, ne ſententiæ huius fidem poſcentibus ſatisfacturi, teſtibus deſtituantur: partim, qua ratione, ſi Salomonem quoque architriclinos in ſua aula habuiſſe, oſtenderint, ex eo eorumdem vſum in priuatis ædibus, in conuiuiis maxime et in epulis nuptialibus, poſſint efficere. De his enim, non de regio ditisſimi huius principis cœnaculo et miniſtrantium ibi turba, ſermonem eſſe, res ipſa docet.

IIII

HAEC quum ita ſint, alii, noſtrum effatum ex ebræorum antiquitatibus illuſtraturi, ad alios quaſi fontes abeunt. Principem in his locum tenet doctisſimus IOANN. LIGHTFOOTVS *m)*, cuius verba, digna cenſeo, quæ hic legantur: *hunc ego*, inquit, *intellexerim eum fuiſſe, qui inſtar ſacellani erat et gratias egit et benedictiones pronuntiauit, in talibus conuiuiis haberi*

l) *cap.* IIII, 7. Adde AVGVST. CALMETVM in *den bibliſchen Unterſuchungen*, *part.* IIII. p. 362. edit. ſumme venerab. IO. LAVR. MOSHEMII.

m) *horis ebraicis et talmudicis in Ioannem*, *tom.* II. *operum*, p. 606.

beri solitas. Erat ברכת חתנים benedictio sponsi, *recitata vno-quoque die septidui, et erant in tam continuata conuiuatione bene-dictiones aliæ, quæ poculum vini requirerent, nam super poculum vini est benedictum, et erat speciatim* כוס הבשורת poculum bono-rum nouorum, *ob signa virginitatis sponsæ. Illum ergo, qui pro toto cætu benedixit, architriclinum hic dici, existimo. Ac vinum, iam ex aqua factum, Christus ad eum dirigit, vtpote qui propinaret toti cætui, benedictione aliqua super poculum concepta, poculo ab eo epo-to et subinde toti mensæ communicato.* Quam quidem senten-tiam, tametsi aliis, doctissimo nominatim BERNARD. LAMIO *n*), haud displicuisse, probe scio; tamen, vt vera viderint illius patroni ac defensores; aut sacri scriptoris, de architriclino di-centis, mentem sint adsequuti, non sine ratione vereor. Vix enim ac ne vix quidem caussam adsequi me, libentissime fa-teor, quare talis sacellanus *architriclinus* fuisset a IOANNE nun-cupatus, quum illius, si quod fuit, officium ab eo, quo hunc perfunctum esse, veteres tradunt, nimio distinctum fuit inter-uallo, ne dicam, sacellanum in conuiuarum fuisse numero; IOANNEM vero de architriclino nostro ita loqui, vt in cœnaculo, vbi epularis accubatio facta, eum fuisse, negantium; quam ad-firmantium rationes mihi videantur firmiores. Præterea SAM. BASNAGIVS multique antiquitatum iudaicarum inuestigatores recte docent, sollemnem hanc in iudæorum conuiuiis precatio-nem, quam vulgo *benedictionem* vocamus, non a sacellano; sed a patrefamilias; aut sponsi parente; aut alio, qui inter ipsos eius gentiles et agnatos in honore erat et veneratione, per-actam fuisse. Et vnde, quæso, hominem, vota illa nuncupatu-rum, vnquam ἀρχιτρίκλινον esse vocatum, probabitur? Rectis-sime itaque sentire mihi videntur, qui in patriis iudaicæ gentis ritibus et institutis vestigia architriclinorum reperiri nulla eo-rumdemque rationem ex græcis et romanis antiquitatibus cognoscendam esse omnem, arbitrantur; de nostro vero apud Ioan-

n) *commentar. ad harmon. euangel.* p. 108.

Ioannem architriclino exiſtimant, pertinere eius in nuptiis ac conuiuiis vſum ad eas conſuetudines, quas Iudæi a Romanis, poſt redactam illorum a Pompeio in horum poteſtatem prouinciam, didiciſſent. Quæ vt credant, eo facilius a ſe impetrabunt, qui, in aliis epularibus et conuiualibus ritibus iudaicam gentem Romanos imitatam eſſe, velint cogitare. Manifeſte id, præter alios, monſtrauit HIERONYMVS MERCVRIALIS. *o*) Poſtquam enim doctus ille vir, omnes fere in conuiuiis Romanorum mores, quos VARRO, CICERO, SENECA, PLINIVS, PLVTARCHVS, SVETONIVS, GALENVS, ATHENAEVS aliique litteris conſignauerint, tempore ſeruatoris noſtri ad Iudæos quoque tranſiiſſe, docuit, rem variis exemplis confirmat; tum vero pergit: *quum igitur ex his ac pluribus aliis certo euincatur, Iudæos fuiſſe Romanorum mores, in conuiuiis maxime, ſectatos, cur non etiam in tricliniis conſtruendis?* addo: cur non in architriclino, lautis epulis, maxime nuptialibus, adhibendo?

V

PROPIVS ad rem ipſam accedamus. Mirum in modum differunt de architriclino recentiorum ſcriptorum ſententiæ. Breuiter et apte DESIDERIVS ERASMVS: *p*) *græca vox eſt, ſignificat eum, qui præfectus eſt adparando conuiuio*, cum quo OTHO GVALTPERIVS *q*) conſpirat: *cui commiſſa eſt cura adornandi conuiuii.* Obſcurius ISIDORVS CLARIVS *r*), vocabuli originem ſequuturus: *dicitur præfectus triclinii, ſiue diſcumbentium in triclinio.* In alia omnia abit IAC. CAPPELLVS. *s*) *Erant in conuiuiis*, inquit, *regum tres minimum præfecti* רב האפים *ἀρχισιτοποιός* præfectus piſtorum, רב שקה *vel* רב המשקים *ἀρχιοινόχοος*, præfectus pincernarum, רב טבחים *ἀρχι-*

o) *diſſ. de accubitu triclin.* cet. adpendicis loco inſerta eiusdem *libr.* I. *de arte gymnaſt. cap.* II. p. 75. ed. Amſtelod.

p) *not. in Ioann. tom.* VI. *operum* p. 350. edit. CLERICI.

q) *tom.* IIII. *critic. Anglic.* p. 1574.

r) ibidem.

s) ibidem, p. 1579.

ἀρχιμάγειρος, præfectus coquorum. *Etiam in conuiuiis priuatorum, saltem apud Romanos, tres leguntur itidem præfecti:* I. præfectus morum. *Is a magistratu dabatur:* II. rex vini. *Is a conuiuis eligebatur sorte:* III. præfectus pincernarum. *Is est* ἀρχιτρίκλινος. Omnes rationes ostendunt, CAPELLVM ἀρχιοινόχοον et ἀρχιτρίκλινον vnum esse, arbitrari. HVGO GROTIVS *t*) τὸν ἀρχιτρίκλινον per τὸν ἐλέατρον explicat, quod vocabulum, vt infra ostendam, apud ATHENAEVM aliosque legitur; addit vero: *erat huius, nunc huc, nunc illuc discurrere, prægustare cibos et vina.* THEOD. BEZA *u*) itidem ATHENAEI verbis, ad quæ GROTIVM respexisse dixi, vtitur, ἀρχιτρίκλινον descripturus, eumque fuisse, putat Græcorum ἐλέατρον, ἐπιστάτην τῆς ὅλης διακονίας, qui et προγεύστης dictus fuisset et προθέντης, hoc est, qui dapes conuiuis adposuisset. IOACH. HILDEBRANDVS *x*), triclinio præfectum censet fuisse architriclinum, et, in medium adductis MALDONATI ad supra excitatum IOSVAE SIRACIDIS effatum verbis, Romanos aliasque cultiores gentes præcipuum e conuiuis, dicit, delegisse, *qui conuiuio præesset, a quo leges conuiuales darentur et certa bibendi ratio præscriberetur.* Prouocat ad ATHENAEI librum decimum, quo conuiuii præsidum munera recensita legantur. Addit, vocatum eum quoque esse ἀρχιοινόχοον, vel *primarium pincernarum*, teste PLVTARCHO in *Alexandri vita*, itemque ὀφθαλμὸν: PRVDENTIVM *y*) eius quoque mentionem fecisse eumque *regem* adpellasse: gessisse denique architriclinum *penus* et *victualium curam.* IO. CONR. DIETERICVS *z*), *erat*, inquit, *architriclinus, qui totum curabat conuiuium et gubernabat conuiuas: locauit singulos competenti loco, mensas, conclauia, fercula disposuit.* A Græcis συμποσίαρχον, itemque βασιλέα dictum eum esse, arbitratur, a Romanis *regem* et *summum magistrum:* itemque *moderatorem*, quam in rem testimonia adfert ex PLVTARCHO, HORATIO, CICERONE, et VARRONE. Qui a Græcis porro apud ATHE-

t) *in Ioann. tom.* II *operum*, p. 483.
u) *not. ad hunc loc.*
x) *antiquitatib. bibl.* p. 154.
y) *hymn. cathem.* v. 28.
z) *ant. biblicis noui testam.* p. 152.

THENAEVM οἰνόπται et ὀφθαλμοὶ dicti ſunt, hos cum architriclinis eosdem fecit, quod et alii, quamquam immerito, credunt, vt infra monſtrabo. IOANN. DOVGTAEVS *a*) architriclini nomine intelligit *moderatorem aliquem, tunc e ceteris ſortito electum et ſollemnioribus quibusque conuiuiis imponi ſolitum, cuius munus vnice erat, res ad conuiuium ſpectantes, ſcitule et prout decebat, diſponere.* Exiſtimat, in antiquis græcis ſcriptoribus architriclino *σιταρχου, συμποσιάρχου, ἑςιάρχου* nomina tributa fuiſſe: a PLAVTO eumdem *ſtrategum*, ab HORATIO *patrem cænæ*, ab APVLEIO *magiſtrum in conuiuio*, a MACROBIO et AVSONIO *regem conuiuii* fuiſſe nuncupatum, additis his verbis: *quem itaque ἑςίαρχον, συμποσίαρχον, regem conuiuii illic dicebant, hic*, apud IOANNEM, *architriclini vocabulo indigitat ſacra pagina.* IO. LIGHTFOOTI et BERNARDI LAMII de architriclino ſententiam iam ſupra in medium adducendi, occaſio fuit. SAM. BASNAGIVS *b*), poſtquam LIGHTFOOTVM refutauit, architriclinum illum eſſe, cenſet, *qui vel vt dominus; vel vt œconomus conuiuio præfuerit*; poſtea vero ſic pergit: *architriclinus igitur ille nobis eſt, qui in nuptiis, apud Canam celebratis, œconomi fungebatur officio. Is menſæ non adcumbebat; ſed ſtabat, conuiuium obibat, imperabat miniſtris, quod facto opus erat, vina, antequam conuiuis præberentur, deguſtabat.* IO. CASP. SVICERVS *c*) ἀρχιτρίκλινον, triclinii vocat præfectum, *cui commiſſa fuerit cura adornandi conuiuii: qui adornando conuiuio præfuerit*, addita hac adpellationis ratione: *ſolebant enim in tricliniis inſtrui conuiuia, quæ loca ſunt conſtructa tribus ad diſcumbendum lectis.* FRIDERICVS ADOLPH. LAMPIVS *d*) *tricliniarcha*, inquit, *non pertinebat ad conuiuas; ſed ad miniſtros; ita tamen, vt auctoritatem ſuper reliquos ſeruos haberet et omnia moderaretur. In nuptiali conuiuio eiusmodi homine opus erat, omnia vt decenter peragerentur.* Addo ſumme reueren-

a) *analect. nou. teſt. excurſ.* XXXVIII. p. 58.

b) *annal. politico - eccleſiaſt. tom.* I. p. 269.

c) *theſaur. eccleſiaſt. tom.* I. p. 536.

d) *comm. in Ioann. cap.* II. p. 510.

uerendi IO. GOTTL. CARPZOVII *e*) verba: *auctor*, GOODWINVS, *commode distinguit inter* בעל הבית *οἰκοδεσπότην*, *seu herum*, *et inter* בעל משתה *ἀρχιτρίκλινον*, *qui lectis, cibis, potui et reliquis ad epulum necessariis recte curandis et distribuendis praeerat*, magister conuiuii et strategus *Latinis dictus*, *vt apud Plautum* cet. Paullo post: *num vero symposiarcha ille et modimperator idem sit ac architriclinus, dubitatum video a nonnullis; nec immerito.*

VI

PARI modo de architriclino dissentiunt, qui de conuiuiis veterum, de eorum seruis deque aliis argumentis, in quorum pertractatione necessaria videbatur seruilis huius officii commemoratio, sunt commentati. ANDR. BACCIVS *f*) haec de illo habet: *regi ac symposiarchae subministrator erat architriclinus graeca voce, qui iuxta coenae indicem praescriberet modum, quo ordine et quae danda essent edulia, sicut et οἰνόπτης dicitur vinorum magister, et quae essent propinanda. Sub his ministri ac famuli atrienses, vt Cicero in Pisonem.* IO. BAPT. CASALIVS *g*) de architriclino prorsus fere tacet, si a paucis his eius verbis discesseris: *consuetum quoque fuit, vt architriclinus, seu symposiarcha, seu modimperator, praescriberet numerum; et mensuram potus in conuiuiis.* IVL. CAES. BVLENGERVS *h*) haec de eo memorat: *in veteri lapide vnus ex libertis* mensae Augusti praefectus *dicitur: item:* tricliniarcha, praepositus a fiblis, praepositus a chrystallinis. Castrensis *praeerat pincernis, sellariis, lampadariis, mensae ministris in notitia imperii. Vitichindus mensae ministratorem vocat* dapiferum. *Codinus et Zonaras*, praepositum mensae, τὸν ἐπὶ τραπέζης. *Theodoretus libr.* IIII. *hist. eccles.* τὸν τῶν βασιλικῶν προμηθούμενον δείπνον, eum, qui procurat coenas imperatoris. *Gregorius libr.* VIII. τὸν δομέστικον τῆς τρα-

e) *adparat. hist. crit. antiquitatum* p. 57. *sacri codicis et gentis ebraeae*, p. 378.

f) *de conuiu. antiqu. libr.* II. *cap.* 6.

g) *de conuiuiis, libr.* II. *cap.* 6.

h) *de conuiuiis, libr.* IIII. *cap.* 6.

τραπέζης βασιλικῆς, domesticum; *seu* praepositum mensae regiae: CASPAR BARTHIVS *i*) eos potissimum sequitur, qui architriclinum *conuiuii regem; siue* *sympofiarcham* statuunt, quae etiam IO. GVIL. STVCKII *k*) est sententia. Is enim, *mihi*, inquit, *non commode, vt ex syriaca et graeca Nonii interpretatione patet, pro conuiuii magistro, siue sympofiarcha proprie dicto, videtur posse accipi, cuius etiam munus erat, vinum praegustare atque praebibere. Nomen ἀρχιτρικλίνου, quod sciam, nusquam alibi reperitur. Videtur autem idem plane fuisse, qui tricliniarcha a Romanis, vt et ipsum vocabulum sonat, fuit adpellatus.* Addit deinde ex WOLFG. LAZIO *l*) lapidem antiquum, in quo tricliniarchae huius facta est mentio, et quem infra, quum de Romanorum tricliniarchis dicam, in medium adferam. Alio loco *m*) eidem doctissimo antiquitatum conuiualium scriptori *tricliniarchae dicti videntur, qui triclinio, siue toti ministerio conuiuiali, praefuerunt, eiusdem significationis cum architriclino illo euangelico.* PETRVS CIACCONIVS *n*) in eorum discedit sententiam, qui architriclinum potandi magistrum, aut vini regem, arbitrantur fuisse, vt ex his eius verbis patet: *magistrum potandi, aut regem vini illi constituebant et huiusmodi munus aliquod in illis nuptiis, quibus Christus interfuit, architriclinum obiisse, adparet.* FVLV. VRSINVS *o*), quum seruorum, ad triclinia ministrantium, mentionem fecit, numerat in his quoque tricliniarcham eiusque memoriam in duabus romanis inscriptionibus conseruatam nobis esse, dicit; tacet vero de eius officio ac munere. Neque LAVRENTIVS PIGNORIVS *p*) satisfecisse quaestioni huic videtur, quod tricliniarcham ipsi triclinio praefectum fuisse, solummodo ait; neque plura addit; quam sic vocatum esse in veteri epigrammate M. Vlpium, Augusti libertum, Phaedimum: apud

i) *libr.* VII. *aduersar. cap.* 3. p. 315.
k) *antiquitat. conuiual. libr.* II. *cap.* 7.
l) *commentar. reipubl. rom. libr.* XII. *cap.* 5.
m) *libr. memorat. libr.* II. *cap.* 21.
n) *de triclinio*, p. 106.
o) *adpend. ad Ciaccon. de triclin.* p. 244.
p) *de seruis*, p. 114.

apud IOANNEM eumdem nuncupari ἀρχιτρίκλινον : a IVVENCO *ſummum miniſtrum* : ab ATHENAEO ἐπιστάτην τῆς ὅλης διακονίας, ſeruorum nimirum tricliniarium, quorum varia genera ibidem perſtringuntur. Alio loco q) haud obſcure tricliniarcham in ipſo cœnaculo fuiſſe et, ni fallor, ad eamdem cum conuiuis menſam, credere ſe, doctisſimus PIGNORIVS haud obſcure ſignificat. *Virga enim*, inquit, *apud* SENECAM, *qua murmur omne famulorum compeſcebatur, fuit inſigne tricliniarcharum in ipſo triclinio, extra quod actoribus, ſeu diſpenſatoribus, conueniret.* Addo, ne nimis me diffundam, IO. WOWERII r) tantummodo et GONSALII DE SALAS s) de noſtro architriclino cogitata. Vterque ſuam ad PETRONIVM dixit de eo ſententiam. Ille pauca dedit, tricliniarcham præfectum eſſe, ſcribens, *cui inſtruendi ornandique conuiuii cura incumbat*, addita, quam PIGNORIVM exhibuiſſe, modo audiuimus, inſcriptione. Hic paullo liberalior fuit, num felicior in deſcribendo tricliniarchæ munere? infra videbimus. Conſpirat, et recte quidem, cum WOWERIO, altero Petronii interprete, in eo, quod tricliniarcham triclinii præfectum dicat, *cui commiſſa potisſimum fuerit cura conuiuialis et adparando præfuerit conuiuio triclinioque exornando;* addit vero, eumdem Græcis dictum συμποσιάρχην et ἀρχιτρίκλινον eiusque munus fuiſſe, potionem prægustare : eo conſilio tricliniarchæ illi, cuius IOANNES, nuptiale conuiuium aliquod deſcripturus, mentionem faciat, *vinum primo adlatum eſſe, non vt biberet; ſed vt prægustaret:* vocari ſeruos hos in inſcriptionibus *tricliniarchas* et *prægustatores.*

VII

QVIS non magnum mirabitur doctisſimorum virorum in adlata hac quæſtione diſſenſum opinionumque diuerſitatem? Quas ſi rite inter ſe contuleris, et veterum de architriclini officio loca rite examinaueris, plurimos pedem offendiſſe

q) *libro excitato*, p. 369.
r) *not. ad Petron. cap.* XXII. p. 76.
s) *notis ad eumdem locum*, p. 90.

disse, nonnullos recte quidem sensisse; paucos tamen in his falsi quid vero haud admiscuisse, facili negotio obseruabis. Res vtut sit, grauiter errare mihi videntur, qui architriclinos cum symposiarchis, cum archipincernis, cum praegustatoribus, cum dispensatoribus porro, cum structoribus denique veterum confundunt. De singulis his seruilibus officiis vt quaedam dicamus, e re videtur esse. *Symposiarcham*, quem IOACH. HILDEBRANDVS, IO. GVIL. STVCKIVS, ISIDORVS CLARIVS, IO. BAPTISTA CASALIVS, et IOANN. DOVGTAEVS vnum eumdemque cum architriclino fuisse, autumant, sortitione, talorum maxime iactu, conuiuae eligebant, qui conuiuio praeesset et leges ipsis praescriberet. Saepe eius fit mentio in antiquis scriptoribus; multiplici tamen nomine, modo *modimperatoris:* modo *magistri:* modo *dictatoris;* aut *strategi;* aut *patris caenae*; aut ὀφθαλμȣ̃, aut οἰνόπτȣ, vt ex ATHENAEI, VARRONIS, PLAVTI, HORATII, GELLII, IVVENALIS, SIDONII APOLLINARIS aliorumque effatis patet, quae IVSTVS LIPSIVS *t*), IVLIVS CAESAR BVLENGERVS *u*), IO. GVIL. STVCKIVS *uu*), FRIDERICVS TAVBMANNVS *x*), ISAACVS CASAVBONVS *y*), IOANN. DOVGTAEVS *z*), CLAVD. SALMASIVS *a*), DIONYSIVS LAMBINVS *b*), IOAN. SAVBERTVS *c*) aliique dederunt, ne de aliis dicam, a SAM. PITISCO *d*) et AMELIO *e*) laudatis. A symposiarcha distinctus erat *archipincerna*, quem cum nostro architriclino eumdem facit, vt supra audiuimus, IACOBVS CAPELLVS. Fuit is pocillatorum prae-

t) *ant. lect.* III. p. 149.

u) *de conuiu. libr.* I, *cap.* 40.

uu) *libr.* II. *antiquit. conuiual. cap.* 7. p. 152.

x) *notis in Plaut. Pers. act.* V. *scen.* I. p. 1165. et *Stich. act.* V. *scen.* 4. p. 1299.

y) *exercitat.* XIII. *in Baron. cap.* 19. p. 244.

z) *analect. nou. test. excurs.* XXXVIIII. p. 58.

a) *obseruat. ad ius attic.* p. 74.

b) *not. ad Horat. libr.* II. *sat.* 6.

c) *de sacrificiis, cap.* XXVI.

d) *lexico antiquit. rom. tom.* I. p. 133.

e) siue PETRO ZORNIO in *der Erörterung der schwersten Schriftstellen neuen Testaments, tom.* II. p. 870.

præfectus, a Græcis ἀρχιοινόχοος, vt ex septuaginta interpretibus *f*) adparet, a Latinis *archipincerna* et, si modo vera dixit IVL. CAES. BVLENGERVS *g*), in antiqua inscriptione MAGISTER PINCERNARVM vocatus, quippe quorum plures saepe vnus dominus, hisque vnum præfectum habebat, quod ex PLVTARCHO *h*), PHILONE *i*), APVLEIO *k*) MARTIALI *l*) aliisque luculenter patet. Archipincernis adiungo prægustatores, siue Græcorum προγεύστας, qui a GONSALIO DE SALAS *m*), HVGONE GROTIO *n*) aliisque pro architriclinis habentur. Eorum officium fuit, vinum prægustare, ac principis potissimum potum, ne noxium quid inesset, explorare. *o*) Sæpe in priscis scriptoribus facta horum est mentio. Habes de iis testimonia inprimis apud ATHENAEVM *p*), XENOPHONTEM *q*), TACITVM *r*), SVETONIVM *s*) et in antiquis lapidibus apud GRVTERVM *t*), GVTHERIVM *u*) et MVRATORIVM *x*). Succedant *dispensatores*, siue *œconomi*, quorum officium IOACH. HILDEBRANDVS *y*) et quodammodo LIGHTFOOTVS *z*) haud obscure architriclinis tribuunt. Ille enim disertis verbis habuisse *penus et victualium curam*, scribit; hic vero eumdem *vel vt dominum; vel vt œconomum conuiuis præfuisse*, autumat. Oeconomi vero veterum pecuniæ potissimum administrationem habebant, ita vt, quæcunque maxi-

f) *genes. cap.* XXXX. V. I.

g) *libr.* IIII. *de conuiuiis, cap.* 6.

h) *sympos.* VI. *cap.* 7.

i) *de vita contemplat.* p. 896.

k) *libr.* II. *metam.* p. 26.

l) *libr.* VIII. *epigram.* 37.

m) *not. ad Petron. satiric. cap.* XXII. p. 90. edit. BVRMANNI.

n) *adnotat. ad Io.* II, 8. p. 483.

o) vid. IVL. CAES. BVLENGERVM de *conuiuiis, libr.* IIII. *cap.* 5. et 6.

p) *libr.* IIII. *dipnosoph.* p. 171.

q) *Cyropæd.* I. p. 10.

r) *libr.* XIII. *annal. cap.* 16.

s) *vita Claud. cap.* XXXXIII.

t) p. LXIII. *inscr.* 5. et 9.

u) *de offic. dom. aug.* p. 663.

x) p. IↃXXVIII. *inscr.* 5. p. IↃCCCCXXVIIII. *inscr.* II. p. IↃCCCLXXXXVII. *inscr.* 4. Adde, quæ de prægustatoribus dicta sunt in *pocillatore Phrygio*, §. V. *tom.* II. *act. societatis Lat. Ienens.* p. 143.

y) *antiquitatib. biblicis*, p. 154.

z) *horis ebr. et talmud. in Ioann. cap.* II. *tom.* II *operum*, p. 606.

maxime ad victum necessaria videbantur, emerent pecuniasque, si qui sumtus faciendi erant, erogarent. Vide LAVR. PIGNORIVM *a*), IACOB. SPONIVM *b*), CLAVD. SALMASIVM *c*), SAM. PITISCVM *d*), IO. VIGNOLIVM *e*). Agmen claudant *structores*. Non desunt, vt ex supra in medium adductis THEOD. BEZAE, IO. CONR. DIETERICI, IO. DOVGTAEI et IO. WOWERII verbis haud obscure colligitur, quibus architriclinorum et structorum munus idem plane fuisse, videtur. Id praecipue in mensis, ad quas accubatio facta, rite ornandis et instruendis dapibusque scite disponendis, positum fuit, quod ex variis veterum testimoniis apud TITVM POPMAM *f*), LAVRENT. PIGNORIVM *g*), FVLV. VRSINVM *h*), THOM. DEMPSTERVM *i*), et IOANN. POTTERVM *k*) adparet.

VIII

AT videamus, quae architriclinorum officii potissimum prisca aetate fuerit ratio. Nolo fuse originem et significationem huius vocabuli in praesenti excutere. Nemini enim potest esse incognitum, eos, qui in aliquo coetu primum obtinuerunt locum, aut quibus suprema officii alicuius; aut negotii cura fuit demandata, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, *a principatu*, quem nacti sunt, addito muneris nomine, ἀρχοὺς dici olim in Graecia voluisse, hincque, vt ex infinita exemplorum copia vel pauca adferam, praefectum nauium ἀρχικυβερνήτην, coquorum ἀρχιμάγειρον, pincernarum ἀρχιοινόχοον, pistorum ἀρχισιτοποιὸν, corporis

a) *de seruis*, p. 307.

b) *miscell. erud. antiquit. sect.* VI. p. 212.

c) *not. in Lampridium vit. Anton. Diadum. cap.* IIII.

d) *not. in Sueton. vit. Aug. cap.* LXVII. §. 4.

e) *inscriptionibus selectis*, p. 276. Adde de dispensatoribus marmora apud GRVTERVM et REINESIVM et quae de iis TACITVS *libr.* I. *annal. cap.* 49. habet et PLINIVS *libr.* XXXIII. c. II.

f) *de operis seruorum*, p. 116.

g) *de seruis*, p. 119.

h) *adpend. ad Ciaccon. de triclin.* p. 342.

i) *not. ad Rosin. libr.* V. *cap.* 29. p. 371.

k) *not. in* CLEMENTEM *Alexandrin.* p. 268.

poris custodum ἀρχισωματοφύλακα, satellitum ἀρχϊυπασπιστὴν, publicanorum ἀρχιτελώνην vocatum esse. Satis porro exploratum esse, iudico, *triclinii* vocabulum, si spectamus originem, idem esse ac τρεῖς κλίνας, quoniam tres lectos sternere veteres solebant ad accubationem epularem: si significationem, illud modo pro ipsis cœnaculis, in quibus epulæ datæ: modo pro lectis, quibus ad discumbendum veteres vsi, vsurpatum esse. Ex eo adparet simul, quum tricliniorum horum vsus in epulis et conuiuiis præcipuus fuerit, ipsum triclinium cœnaculi potissimum et conuiuiorum proprium extitisse; proinde vero, qui triclinio præfectus dictus sit, hunc ipsi simul conuiuio præfuisse, facili nos posse negotio conficere. Ἀρχιτρίκλινος itaque non conuiuarum; sed conuiuii dicitur præfectus, cuius ratio quum potissimum in epularum, in ciborum et potus adparatu videtur esse posita, vel ex hoc ipso architriclini officium et munus intelligi quodammodo arbitror posse. Sed melius intelligetur, si ipsa veterum scriptorum de his conuiuiorum præfectis effata in medium attulerimus, et, quid ex iis consequatur, ostenderimus. Mentio eorum haud admodum frequens est; neque video, vnquam ab vllo scriptore græco ἀρχιτρικλίνου nomen vsurpatum esse. Inuestigandi itaque ii nobis auctorum veterum loci sunt, in quibus, si non nomine; re tamen ipsa architriclinorum horum facta est mentio, quocunque demum nomine eiusmodi præfectos conuiuiorum eorumque adparatus et præparationis præfecturam antiquitas insigniuerit. Quem in censum cadere potissimum arbitror veterum ἐλεάτρους, siue, vt alii scribunt: ἐδεάτρους. De his luculentum ATHENAEVS *l*) nobis reliquit testimonium: λέατροι, inquit, καλοῦνται, ὡς φησὶ Πάμφιλος, οἱ ἐπὶ τὴν βασιλικὴν καλοῦντες τράπεζαν παρὰ τὸν ἐλεόν. Ἀρτεμίδωρος δ᾽ αὐτοὺς δειπνοκλήτορας ὀνομάζει. Ἐκάλουν δὲ φησὶ καὶ τοὺς προγεύστας ἐλεάτρους, ὅτε προήσθιον τῶν βασιλέων πρὸς ἀσφάλειαν. Νυν δέ ὁ ἐλέατρος ἐπιστάτης γέγονε τῆς ὅλης διακονίας. ἦν δ᾽ ἐπιφανὴς καὶ ἔντιμος ἡ χρεία. Χάρης γοῦν

l) *libr.* IIII. *dipnosoph.* p. 171.

ἐν τῇ τῶν ἱςορίων Πἰολεμαῖον, φησὶ, τὸν Σωτῆρα ἐλεάτρον ἀποδειχθῆναι, *eleatri, vt inquit Pamphilus, vocatores appellantur, nimirum qui ad regiam menſam inuitant, a voce* ἐλεός. *Artemidorus ipſos* δειπνοκλήτορας *nuncupat. Scribit idem,* ἐλεάτρους *quoque vocatos fuiſſe* προγεύςας, *id eſt, prægustatores, ſic dictos, quod vt a veneno reges ſecuri tutique ſint, de illorum cibis nonnihil prius mandant, et guſtant. Nunc autem* ἐλέατρος *is dicitur, qui toti miniſterio præeſt, quod certe munus honorificum ac illuſtre fuit. Itaque Chares libro tertio hiſtoriarum ſcribit, Ptolemæum, cognomine ſeruatorem, eleatron ab Alexandro deſignatum renuntiatumque fuiſſe.* Quos a vocabulo ἐλεός, *menſa coquinaria,* ἐλεάτρυς, hos παρὰ τὸ ἔδειν, *ab edendo, m*) ἐδεάτρυς veteres dixerunt, vt EVSTATHIVS *n*) ex AELII DIONYSII *lexico*, qui ſine dubio ATHENAEVM legerat, tradit, iisdem fere, quibus ATHENAEVS, vſus verbis: ἐδέατρος, ὁ βασιλικὸς προγεύςης, καὶ ὁ ἐπιςάτης τῆς ὅλης διακονίας καὶ παρασκευῆς τῆς τραπέζης, *edeatros, regius prægustator et præpoſitus vniuerſo miniſterio et præparationi menſæ.* Idem fere de ἐδεάτρῳ habet SVIDAS *o*) et quidem, vt maxime probabile eſt, ex eodem AELIO DIONYSIO, ex quo ſua hauſit EVSTATHIVS: ἐδέατρος, τὸ μὲν ὄνομα ἑλληνικὸν ἡ δὲ χρεία Περσική. Ἦν δὲ προγεύςης τὸ πρῶτον, καὶ προήσθιεν τῦ βασιλέως εἰς ἀσφάλειαν. ὕςερον δέ ἐνομίσθη, ἐδέατρον καλεῖν τὸν ἐπιςάτην τῆς ὅλης διακονίας καὶ παρασκευῆς, *edeatrus, hoc quidem nomen eſt græcum, et res, quam ſignificat, perſica. Sic autem primum adpellabatur prægustator, ſiue is, qui cibos ante regem ſecuritatis gratia prægustabat. Poſtea vero vſus obtinuit, vt totius conuiuii et adparatus præfectus et magiſter ſic vocaretur.* Cum SVIDA conuenit AVCTOR *etymologici magni p*), iisdem ſine dubio fontibus, quibus SVIDAS et EVSTATHIVS, vſus: ἐδέα-

m) διττογραφία hæc vocabuli ἐδέατρος et ἐλέατρος ſine dubio orta eſt ex adfinitate et conuenientia litterarum Δ et Λ, quas veteres librarii ſæpe numero confundere ſolebant. Facta vero hac confuſione, diuerſa vocabuli deriuandi ratio excogitata fuiſſe, videtur.

n) *comment. ad Homeri odyſſ.* A. p. 1403.

o) *lex* voc. ἐδέατρος p. 617.

p) voce ἐδέατρος, p. 167. edit. Venet. an. CIↃ IↃ CCX. fol.

ἐδέατρος, τὸ μὲν ὄνομα ἑλληνικὸν, ἡ δὲ χρῆσις, περσική. ἦν δὲ προγεύστης τὸ πρῶτον, καὶ προήσθιε τοῦ βασιλέως εἰς ἀσφάλειαν. ὕστερον δὲ ἐνομίσθη, ἐδέατρον καλεῖν τὸν ἐπιστάτην τῆς ὅλης διακονίας καὶ παρασκευῆς, *edeatrus, nomen eſt græcum; res vero, quoad vſum, perſica: Primum ſic nuncupatus prægustator, qui ante regem ſecuritatis cauſſa cibos guſtaret. Poſtea vero vſus obtinuit, vt edeatrus vocaretur præfectus totius miniſterii tricliniaris et conuiuii præparationis.* Hæc ex lexico quodam ſumſiſſe ſe, auctor dicit additque, in alio hanc *edeatri* deſcriptionem datam eſſe: ἐδέατρος, ὁ ἐπὶ τῶν διδύμων, ſic male, rectius ἐδωδίμων, vt SYLBVRGIVS emendat, καὶ τῆς τοιαύτης παρασκευῆς ἐπίσκοπος, *edeatrus, eduliorum et adparatus conuiuialis præfectus.*

VIIII

Ex his omnibus, non ſolum vocabulum ἐλέατρος diuerſas olim habuiſſe ſignificationes, conficitur; ſed etiam, quod caput rei eſt, τὸν ἐπιστάτην τῆς ὅλης διακονίας καὶ παρασκευῆς τῆς τραπέζης, *totius miniſterii præfectum et conuiuii adparatui præpoſitum,* ἐλέατρον, ſiue ἐδέατρον, *eſſe vocatum.* Hoc vero nomine neminem; niſi architriclinum, potuerunt indicare ATHENAEVS, EVSTATHIVS, SVIDAS aliique, quod haud negabunt, qui ſcriptores hos ibi de conuiuiis loqui, expenderint, ac per conſequens, διακονίαν, qua voce memorati ſcriptores vtuntur, neutiquam ad vniuerſam ſeruorum familiam; ſed ad tricliniares miniſtros ſpectare, cogitauerint; ſimulque ea veterum loca in memoriam reuocauerint, in quibus per eminentiam ſeruos hos, in conuiuiis miniſtrantes epulasque adparantes, διακόνους legimus vocari; vocabulum vero διακονεῖν pro *miniſtrare ad triclinium* et *victum præbere*, vſurpari. Prouocant, qui id contendunt, non ſolum ad varia ſacrarum poſterioris fœderis tabularum effata *p*), ad illud maxime, quod apud noſtrum IOANNEM ibidem, vbi architriclini mentio fit, legitur: *q*) λέγει ἡ

 μήτηρ

p) *Matth.* IIII, 11. VIII, 15. XXV, 44. *Luc.* XVII, 8. *act.* VI, 1. coll. V. 2.

q) *Io.* II, 5. coll. V. 9.

μήτηρ ἀυτῦ τοῖς διακόνοις, *dixit eius mater ministris;* sed etiam ad profanorum scriptorum ATHENAEI, THEOPHRASTI aliorumque plurium testimonia *r*), a IAC. RHENFERDO *s*), LAVRENTIO PIGNORIO *t*), IAC. ELSNERO *u*), FRID. ADOLPH. LAMPIO *x*), RAMIRESIO DE PRADO *y*), et IO. CHRISTOPH WOLFIO *z*), suppeditata. Addo, romanos scriptores pari ratione vocabulum *ministrare* de seruis tricliniaribus adhibuisse. Testes sunt PLAVTVS: *a*)

nosmet inter nos ministremus, monotrophe - - -

et HORATIVS: *b*)

- - - - - - - vt omnes
praecincti recte pueri comtique ministrent.

Vnde factum, vt serui hi tricliniares, vti apud Graecos, διάκονοι, sic apud Romanos per eminentiam *ministratores* diceren-

r) addo his effatum ex CLEMENTE *Alexandrino libr.* III. *paedagog. cap.* 4. p. 268. Reprehendit ibi veterum in numerosa seruorum familia luxum; tum vero pergit: φεύγοντες γὰρ ἀυτυργίαν καὶ ἀυτοδιακονίαν, ἐπὶ τοὺς θεράποντας καταφεύγουσιν, ὀψοποιῶν καὶ τραπεζοποιῶν καὶ τῶν ἐντέχνως εἰς μοίρας κατατεμνόντων τὰ κρέα, τὸν πολὺν συνωνούμενοι ὄχλον, *quum enim ipsi agere singula et ministrare nolint, ad famulos confugiunt, obsonatorum et mensae structorum eorumque, qui carnes in frusta artificiose dissecant, magnam ementes multitudinem.* Res ipsa testatur, vocabulum ἀυτυργίαν ad dominos, ἀυτοδιακονίαν ad seruos, dominis epulantibus ministrantes, respicere.

s) *dissertationibus,* iunctim editis, p. 375.

t) *de seruis,* p. 103. edit. Amstelod.

u) *obseruat. sacris ad Luc.* XVII. 8. p. 259.

x) *comm. in Ioann.* II, 5. p. 505.

y) *pentecontarch. p. 96. sq.*

z) *curis philol. et criticis ad Luc.* XVII, 8. p. 710.

a) *Stich. act.* IIII. *scen.* 4. v. 7. vid. ad hunc locum ADR. TVRNEBVM *libr.* VIIII. *aduersar. cap.* 21. IAN. GVLIELMVM *libr.* III. *verisimil. cap.* 24. et FRID. TAVBMANNVM *notis ad hunc locum,* p. 1298. Stichus vero in his excitatis PLAVTI verbis Sagarinum adpellat *monotrophum,* quod, quum solus sit; nec seruos habeat, ipse sibi in conuiuio debebat ministrare. Graeci vero coenantes sibique ipsi ministrantes ἀυτυργοὺς vocabant, vt ex ATHENAEO *libr.* I. *dipnosoph. cap.* 9. et modo excitato CLEMENTIS *Alexandrini* effato adparet.

b) *libr.* II. *serm.* 8. v. 70.

rentur, non ſolum in antiquis ſcriptoribus, vt apud PETRONIVM *c*): *vinum dominicum miniſtratoris gratia eſt*; ſed etiam in lapidibus apud FVLV. VRSINVM *d*) et LAVR. PIGNORIVM *e*): IVLIA LOGAS AMARANTHI AVGVSTI MINISTRATORIS TVRRIANI itemque: ERASTVS ET ANSIO CAESARIS MINISTRATORES *f*): IANVM GRVTERVM *g*): D. M. S. PARIS. IMP. DOMITIANI AVG. GERMANICI SER. MINISTRATOR cet. et *h*): T. FLAV. AVG. LIB. ONESIMO. MINISTRAT. IAC. SPONIVM *i*): D. M. ZOSIMO CAESARIS VERNAE MINISTRATORI: LVD. ANT. MVRATORIVM *k*): SATVRNINO CAES. N. SER. MINISTRATORI EX D. IIII: IO. VIGNOLIVM *l*): HERMES BARBARICARIS MINISTRATOR L. aliosque. Sunt tamen *m*), quibus *miniſtratores* genus ſolummodo ſeruorum tricliniarium, qui alias *pocillatores* et *pincernæ* dicerentur, indicare videntur, quam vocis ſignificationem, etiamſi nonnunquam, etiam apud græcos ſcriptores, obuiam eſſe, haud plane negauero, nominatim apud HESYCHIVM *n*), apud quem οἰνȣ̃σσα adiungitur τῷ οἰνοχόῳ, *pincernæ*, ac de illa dicitur: ἡ διακονȣ̃σα τοῖς συμποσίοις, nolim tamen miniſtratorem, vbicunque facta eius mentio ſit, pro pocillatore habere, maxime quod, ad deſignandam horum διακόνων, ſiue miniſtratorum differentiam, nonnunquam id, quod eiusmodi ſerui conuiuis miniſtrarunt,

 addi

c) *ſatiric. cap.* XXXI.
d) *adpend. ad Ciaccon.* p. 346.
e) *de ſeruis*, p. 130.
f) adde GRVTERVM p. IↃCI. *inſcript.* 3.
g) p. IↃCI. *inſcript.* 5.
h) ibid. *inſcr.* 4. adde p. CIↃCXI. *inſcript.* 14.
i) *miſcell. erud. antiquit.* p. 213.
k) IↃCCCCXV. *inſcr.* 5. adde p. IↃCCCCLXVI. *inſcr.* I.
l) *inſcr. ſelect.* p. 303.
m) vide PETRVM BVRMANNVM *notis ad Petron.* p. 119. Adde de miniſtratoribus veterum diſſerentes: IO. GVIL. STVCKIVM *antiquit. conuiual.* p. 204. et 208. IAC. SPONIVM *miſcellan. erudit. antiquit.* p. 213. LAVR. BEGERVM *ſpicileg. antiquit.* p. 112. et SAM. PITISCVM *lex antiquit. rom. tom.* II. p. 580.
n) *lexic.* voc. οἰνȣ̃σσα, p. 684.

addi ſolet. Sic ATHENAEVS *n*), de Celtis loquens, τὴν ποτὸν, inquit, οἱ διακονοῦντες, ἐν ἀγγείοις περιφέρουσιν, ἐοικόσι μὲν ἀμβίκοις, ἢ κεραμέοις, ἢ ἀργυροῖς, *potum miniſtrantes circumferunt eum in vaſis, ollæ ſimilibus, aut fictilibus*; aut *argenteis*, cum quo OVIDIVS *o*) conuenit, quum de Ganymede canit:

- - *qui nunc quoque pocula miſcet*
inuitaque Ioui nectar Iunone miniſtrat,

et SENECA *p*): *crinitus puer poculum tibi miniſtret.* Quodſi itaque ATHENAEVS, SVIDAS et EVSTATHIVS ἐλέατρον, τὸν ἐπιστάτην τῆς ὅλης διακονίας καὶ παρασκευῆς τῆς τραπέζης vocant, et ad hæc ex adlatis ſcriptoribus tam græcis; quam romanis, itemque ex inſcriptionibus ſatis probari poteſt, vocabulum διακονεῖν, διάκονος, διακονία de *miniſterio conuiuali*, vti Latinorum *miniſtrare* et *miniſtrator*, vſurpari, ipſum *architriclini* vocabulum optime interpretari videntur laudati ſcriptores; nec obſcure ſignificare, eum ſic vocatum eſſe, quod is ſeruorum tricliniarium familiæ et per conſequens ipſis conuiuiis, quæ illorum opera adparari ſolebant, præfectus fuerit, id quod et ipſam nominis originem manifeſte prodere, iam ſupra obſeruaui.

X

HAEC omnia luculentius conſtabunt, ſi duo de his architriclinis egregia IVLII POLLVCIS teſtimonia in medium adtulero, in quibus iidem, quos IOANNES ἀρχιτρικλίνους, quos ATHENAEVS, SVIDAS et EVSTATHIVS, ἐλεάτρους et ἐδεάτρους vocant, τραπεζοποιοὶ, niſi me omnes rationes fallunt, dicuntur. Alterum libro tertio *onomaſtici* eius habetur *q*), his verbis conceptum: ὁ δὲ πάντων τῶν περὶ τὴν ἑστίασιν ἐπιμελούμενος, τραπεζοποιός, *is vero, qui omnia, ad conuiuium ſpectantia, curat, trapezopœus dicitur.* Alterum libro ſexto eſt: *r*) ὁ δὲ φροντίζων τῆς ὑπηρεσίας ἁπάσης, τραπεζοποιός. Ἡ δὲ ὑπηρεσία, παῖδες, οἰνοχόοι τραπε-

n) *libr.* IIII. *dipnoſoph.* p. 152.
o) *libr.* X. *metam.* v. 160.
p) *epiſtol.* CXX.
q) *libr.* III. *ſegm.* 41. p. 287. edit. TIB. HEMSTERHVISII.
r) *libr.* VI. *ſegm.* 13. p. 570.

τραπεζοκόμοι, τομεῖς, μάγειροι, ὀψοποιοὶ, ὀψαρτυταὶ, qui autem omne curat ministerium, trapezopœus dicitur; famulitium autem est, pueri, pincernæ, mensarii, sectores, coqui, obsoniorum paratores, condi. Duo hæc effata si inter se comparaueris, manifeste patet, trapezopoeum eumdem fuisse, quem *architriclinum* IOANNES dixerit. Satis enim iam me, credo, cum ex ipsa nominis *ἀρχιτρικλίνου* ratione; tum ex ATHENAEO ostendisse, architriclinum supremam totius conuiuii; simul vero et omnium tricliniarium seruorum curam habuisse, et tam illis; quam his fuisse præpositum. Iam vero eadem officii pars *τῷ τραπεζοποιῷ* a POLLVCE tribuitur. In altero enim loco *τὸν τραπεζοποιὸν* esse dicit: *τῶν πάντων τῶν περὶ τὴν ἑστίασιν ἐπιμελούμενον*, in altero eumdem *τραπεζοποιὸν τὸν φροντίζοντα τῆς ὑπηρεσίας ἁπάσης.* Quodsi igitur expenderis ipsam, quam supra monstraui, *τοῦ ἀρχιτρικλίνου* vocabuli significationem ac simul verba ATHENAEI, EVSTATHII et SVIDAE, quibus *ἐλέατρος*, siue architriclinus, *ὁ τῆς ὅλης διακονίας ἐπιστάτης καὶ παρασκευῆς τῆς τραπέζης* dictus est, cum POLLVCIS verbis comparaueris, in quibus *τραπεζοποιὸς* partim *ὁ φροντίζων τῆς ὑπηρεσίας ἁπάσης*, partim *ὁ ἐπιμελούμενος πάντων τῶν περὶ τὴν ἑστίασιν* vocatur, ac insuper cogitaueris, *τὴν τράπεζαν* sæpe a priscis scriptoribus de mensa, epulis referta, siue de instructo conuiuio, vsurpari *s*); *τραπεζοποιὸν* vero eum proinde esse, qui conuiuium instruat, vt *ὀψοποιὸν*, qui obsonia, *ἀβυρτακοποιὸν*, qui abyrtacas, *ἀλλαντοποιὸν*, qui farcimina, *ἀρτοποιὸν* et *σιτοποιὸν*, qui panem, *δειπνοποιὸν*, qui cœnam, *μυροποιὸν*, qui vnguenta, *ποτισματοποιόν*, qui potiones paret et conficiat, facillimo negotio videbis, *ἀρχιτρίκλινον* et *τραπεζοποιὸν* inter se haud differre; IVLIVM vero POLLVCEM his modo recitatis verbis architriclini rationem et officium descripsisse. Idem dicendum est de his HESYCHII *t*) verbis: *τραπεζοποιὸς, οὐχ ὁ μα-*

s) *τραπέζας*, inquit IVLIVS POLLVX, *ἐκάλουν καὶ τὰ σιτία, τὰ ἐπ᾽ αὐτῶν τιθέμενα, mensas etiam cibos, istis impositos, nuncupauerunt*, *libr.* VI. *onomast*, *segm.* 84. p. 616. edit. laudatæ. Adde VIRGILIVM *libr.* III. *Aeneid*, v. 257.

t) *lexic.* voc. *τραπεζοποιός.* p. 950.

ὁ μάγειρος, ἀλλ᾽ ὁ τῆς πάσης περὶ τὰ συμπόσια παρασκευῆς ἐπιμελούμενος, *trapezopœus non eſt coquus; ſed cui totius conuiuiorum adparatus cura incumbit*, in quibus itidem eiusdem ſerui, quem *arcbitriclinum* IOANNES vocat, officium adcurate puto expoſitum eſſe.

XI

ARCHITRICLINOS noſtros eosdem porro, arbitror, eſſe, qui in aliis veterum ſcriptorum effatis, τὴν ἐπεμελείαν τοῦ συσσιτίου ἔχοντες, οἱ προεστηκότες τῆς συσσιτίας, οἱ τῆς τραπέζης ἐπιμελούμενοι cet. vocantur. Sic ATHENAEVS ex DOSIADA, priſco ſcriptore, narrat, Cretenſes per mulieres conuiuia adparanda curaſſe, quumque id de hac gente tanquam ſingulare quid et aliis populis inuſitatum memorat, haud obſcure ſimul ſignificare videtur, veteres Græcos habuiſſe olim eiusmodi ſeruos, inſtruendis adparandisque conuiuiis præfectos. En eius verba:: *u*) τὴν τε ἐπιμέλειαν ἔχει τοῦ συσσιτίου γυνή, τρεῖς ἢ τέτταρας τῶν δημοτικῶν προσειληφυῖα πρὸς τὰς ὑπηρεσίας. ἑκάστῳ δ᾽ αὐτῶν ἀκολουθοῦσι, δύο θεράποντες ξυλοφόροι, *conuiuium mulier curat, adiunctis tribus; vel quatuor popularibus, qui miniſtrent, et quorum ſingulis famuli duo comites ſunt, qui lignum adferunt.* Paullo poſt mulierem hanc, conuiuium adparantem, τὴν προεστηκυῖαν τῆς σισσιτίας vocat, haud obſcuro indicio, ſi inprimis ante adlata verba expenduntur et cum his comparantur, quod alias per ſeruos et quidem architriclinos, idem apud Cretenſes mulierum potisſimum auſpiciis factum eſſe, hasque per dictos illos populares cibos parandos curaſſe, ac ſupremam conuiuii habuiſſe curam. Addo alium eiusdem ſcriptoris locum, vbi Perſarum conuiuia deſcribens, horum reliquias famulis et ſeruis dari, his verbis memorat: *x*) ἐπειδὰν δὲ οἱ σύνδειπνοι δειπνήσωσι, τῶν ἀπὸ τῆς τραπέζης παραλειπομένων ὁ τῆς τραπέζης ἐπεμιλούμενος δίδωσιν ἑκάστῳ τῶν οἰκετῶν, *quum conuiuæ cœnauerint, ea, quæ a conuiuio ſuperſunt, conuiuii præfectus inter famulos diſpertit.* Hæc ſunt de

u) *libr.* IIII. *dipnoſoph.* p. 143. *x*) *libr. eodem,* p. 145.

de architriclino effata, quae apud ATHENAEVM habentur. In aliis quidem scriptoribus, qui ATHENAEO, siue aetatem; siue in antiquis rebus fidem spectamus, longe inferiores sunt, itidem passim nomina leguntur, quae architriclinorum officium videntur designare, vt apud THEODORETVM, NONNVM, ZONARAM, GREGORAM *y*) aliosque, a quibus is modo ὁ προμηθέμενος τῶν δείπνων: modo εἰλαπίνης πομπὸς et μεδέων: modo ὁ ἐπὶ τῆς τραπέζης: modo ὁ δομέστικος τῆς τραπέζης βασιλικῆς: modo διαιτάριος vocatur; sed consulto haec testimonia, quod ad nostrum institutum non pertinent; nec, quid fuerit architriclinus olim apud veteres Romanos et Graecos, luculenter docent, silentio praetereo. Si quod tamen ex inclinatiori aeuo testimonium his a me disputatis addendum est, certe illud, quod SEVERVS nobis reliquit, dignum mihi sedula attentione videtur. Floruit is sexto seculo et sacrae Antiochenorum ciuitatis antistes ac singularis inter Eutychianos sectae, Phthartolatrarum, caput fuit. Collegit in Matthaeum, Lucam et Ioannem antiquiorum commentariorum fragmenta eaque per *catenas*, vti vocantur, digessit, quamquam sunt, qui laborem hunc aliis; sed falso, tribuunt, id quod contra COMBEFISIVM RICHARDVS SIMONIVS *z*) demonstrauit. Ac huius scriptoris aetas etiamsi incidat in tempus, quod suis, quos tulit, auctoribus fidem amplissimam neutiquam spondere, certe eamdem in rebus antiquis reddere quodammodo videtur suspectam; de Seuero tamen nostro vel eo nomine mitius puto iudicandum, quod, quae tradiderit, ex antiquiorum patrum monimentis eum, scimus, comportasse, adeo, vt fidem eius non tam aetate, qua ille; quam qua doctores, ex quorum scriptis suam fabricatus est catenam, floruerunt, metiri nos debeamus. Res vtut sit,

y) vide haec effata apud IVL. CAES. BVLENGERVM *libr.* IIII. *de conuiuiis*, *cap.* 4. p. 210. IO. GVIL. STVCKIVM *antiquit. conuiual.* p. 209. et IO. WOWERIVM *notis ad Petronium*, p. 76. ed. BVRMANNI.

z) *hist. crit. nou. test. tom.* IIII. *cap.* 31. p. 452. Adde FRID. ADOLPH. LAMPIVM *prolegom. in Ioannem, libr.* II. *cap.* 6. p. 254.

ipsa, quam SEVERVS noster dedit, architriclini descriptio ita est comparata, vt reliquorum scriptorum de ἐλεάτρῳ deque τραπεζοποιῷ narrationibus non modo non repugnare; sed eisdem optime respondere et supra a nobis expositam vocabuli ἀρχιτρικλίνου significationem rite confirmare videatur. Ἀρχιτρίκλινος δὲ ἐστιν, inquit, οὐχ' εἷς τῶν ἀνακειμένων ἐπὶ τῆς στιβάδος, ἀλλ' ὁ ἄρχων τοῦ λεγομένου τρικλινίου, τουτέστι τοῦ οἰκίσκου τῆς ἑστιάσεως. ἓν ἔργον ἔχων τὸ σχεδὸν, εἰς τὸ ἄνω καὶ κάτω νοστεῖν, καὶ τάττειν οἰνοχόους καὶ ὀψοποιεῖσθαι καὶ πάντα διατιθέναι πρὸς τὸ σπουδαῖον ἅμα καὶ ἦθος τῶν ἑστιωμένων, *architriclinus autem non est aliquis adcumbentium super stragulis; sed ipse princeps; siue moderator triclinii, id est, cubiculi epularis, cuius ferme vnicum munus est, sursum ac deorsum commeare vinique pronios statuere et edulia curare recteque omnia cum ad honestatem et decentiam, tum etiam ad conuiuarum voluptatem componere.*

XII

Ex Latinis scriptoribus CICERONIS potissimum, PETRONII et FESTI de his architriclinis testimonia profero hisque aliquot Romanorum marmorum suffragia adiungo. Ad Ciceronem quod spectat, is, postquam CESONII CALVENTII agrestes mores et rude impolitumque ingenium acerbe exagitauerat, eumque non disciplinis; sed voluptati deditum semper fuisse, dixerat *a*), *habet autem*, inquit, *magistros non ex istis ineptis, qui dies totos de officio ac de virtute disserunt, qui ad laborem, ad industriam, ad pericula, pro patria subeunda, adhortantur; sed eos, qui disputent, horam nullam vacuam voluptate esse debere, in omni parte corporis semper oportere aliquod gaudium delectationemque versari: his vtitur quasi præfectis libidinum suarum: hi voluptates omnes vestigant: hi sunt conditores instructoresque conuiuii, iidem expendunt atque æstimant voluptates.* Ex quibus verbis, vbi rite expenduntur, satis, credo, constare, per *conditores instructoresque conuiuii* CICERONEM nullos; nisi architriclinos

a) *orat. post reditum in senatu cap.* IV. *tom.* II. *part.* 2. eius *orationum*, p. 373. ed GRAEVII.

chitriclinos nostros, intellexisse, quumque Cesonium in horum disciplinam tradidisse se, dixerit, eius hominis intemperantiam atque in cibo et potu luxuriam lepide perstringere voluisse. PETRONIVS *b*) disertis verbis nostrorum architriclinorum fecit mentionem. Vtitur is vocabulo *tricliniarchae*, quod, si originem spectaueris, vnum idemque est cum *architriclini* vocabulo, quamquam, quae de eo tradit: *iam et tricliniarches experrectus, lucernis occidentibus oleum infuderat et pueri, detersis paullisper oculis, redierant ad ministerium*, parum ad nostri argumenti illustrationem faciunt; aut, quod fuerit olim architriclini officium, nobis distincte produnt. Etenim, quod elegantissimus satirici auctor, tricliniarcham oleum occidentibus lucernis infudisse, refert, id non tam officii, quam superstitionis caussa fecisse eum, arbitror, quoniam is, casu experrectus, oleum lucernis deesse viderat; ignem vero, vt recte doctissimi VIRGILII *c*) interpretes aliique monent, velut animatum quid, exstinguere, religioni sibi veteres ducebant. FESTI *d*) denique verba: *edeatre*, pro quo IO. MEVRSIVS *e*) rectius *edeatri* legit, *qui praesunt regiis epulis, dicti ἀπὸ τῶν ἐδεσμάτων*, ita sunt comparata, vt itidem haud obscure, loqui eum, pateat, de architriclinis; siue tricliniarchis. Vtrumque enim vocabulum conuiuii praefectum designare, iam supra probaui. Quod vero addit, ἐδέατρον regiis epulis praefectum esse, id cum ATHENAEO, ex quo, vti ex aliis graecis antiquioribus scriptoribus, multa iuniores, glossariorum potissimum et lexicorum conditores, mutuati sunt, optime videtur conuenire. Is enim ἐλεάτρους Persis inprimis videtur tribuere sicque primum regios praegustatores, postea epularum adparatui praefectos vocatos esse, perhibet, id quod et AELIVS DIONYSIVS *f*) SVIDAS *g*) aliique, qui ex vno procul dubio fonte hauserunt, vt supra dixi, confirmant.

b) *satiric. cap.* XXII.

c) *cir.* v. 344. p. 53. ed. TAVBMANNI.

d) *de verb. signific. voc. edeatre*, p. 282.

e) *part.* II. *exerc. criticar. cap.* 3. p. 14. edit. KVSTERI.

f) apud EVSTATHIVM *comment. in Homerum odyss.* A. p. 1403.

g) *lexic. voc.* ἐδέατρος *tom.* I. p. 677.

XIII.

In inſcriptionibus romanis hos architriclinos, et quidem plurimam partem, vti apud PETRONIVM, *tricliniarcharum* nomine commemoratos legimus. Marmorum horum aliquot inſignia exempla IANVS GRVTERVS exhibuit, quae hic transſcribere, eo minus abs re, iudico, eſſe, quo magis ipſum, quod diſputamus, argumentum videntur illuſtrare. En hoc marmor: *b*)

THEOPRAEPON. AVG. LIB. PROC. D. N. M AVR. SEVERI. ALEXANDRI. PII. FEL. AVG PROVINC. ACHAIAE. ET. EPIRI. ET. THESSA LIAE. RAT. PVRPVRAR. PROC. AB. EPHEME RIDE. PROC. A. MANDATIS. PROC. ET. AD PRAEDIA. GALLICANA PROC. SALTVS DO MITIANI. TRICLINIARCHAM. PRAEPOSITVM A. CRISTALLINIS. HOMINEM. INCOMPARA BILEM. TYSANDER. AVG. LIB. OFFICIALIS

En aliud *i*), quod ex BOISSARDO *k*) a GRVTERO datum eſt:

M. VLPIO. AVG. LIB
PHAEDIMO. DIVI. TRAIANI. AVG
A. POTIONE. ITEM. A. LAGVNA. ET
TRICLINIARCH. LICTORI. PROXIMO. ET
A. COMMENT. BENEFICIORVM. VIXIT
ANN. XXVIII. ABSCESSIT. SELINVNTE. PRI-
IDVS. AVG. NIGRO. ET. APRONIANO. COS
RELIQVIAE. TRAIECTAE. EIVS. III. NONAS. FEBR
EX. PERMISSV. COLLEGII PONTIFICVM
PIACVLO. FACTO. CATVLLINO. ET. APRO. COS
DVLCISSIMAE. MEMORIAE. EIVS. VALENS
AVG.

b) p. CCCCLXXIIII inſcr. 4. GVDIVS cenſet, inſcriptionem hanc e graeco eſſe verſam.

i) p. IↃLXXVIII. *inſcr.* I.

k) *tom.* VI. *antiquit.* p. 68.

AVG. LIB. PHAEDIMIANVS. A. VESTE. BEN
MER. FECIT

ex quo etiam hoc exhibeo: *l*)

B. LICIO. ABORTEN
NIO. TRICLINIARCH

NYMPHE. HAVE. HEL
VIVS AVG. LECTICAR

Addo duo alia ſaxa, in quibus itidem tricliniarchæ arbitror mentionem factam, rectene an ſecus, viderint alii. Alterum apud eumdem GRVTERVM *m*) habetur:

SEX. POMPEIO. VOLESSIGO. SEX. POMPEI
SER. TRICLINIAR. ITEM. ATRI. CVRAN. CN
POMPEIVS. PHILODESPOTVS. LANIVS. OLL. II.

alterum apud MVRATORIVM *n*) VOLVSIAE. SABINAE. VIX. ANN. XVII. M. VII. VOLVSIANVS AVG. NOST. SER. TRICLINIAR. CONIVGI. BENE MERENTI. FEC. Non ignoro, FVLVIVM VRSINVM *o*) aliosque, qui Gruterianum marmor retulerunt, verba SER. TRICLINIAR. de tricliniario ſeruo interpretari, mallem ego, niſi me omnes rationes fallunt, de tricliniarcha, maxime, quod ſerui illi tricliniares, ſiue tricliniarii, in lapidibus *miniſtratores* vocari ſolent; neque vmquam, quoad ego quidem ſcio, in aliis lapidibus; aut priſcis ſcriptoribus tricliniarium horum ſeruorum facta eſt mentio. Nequaquam vero huic interpretationi officit additum *ſerui* nomen, quod in ſupra recitatis tribus Gruterianis lapidibus omiſſum videmus. Vti enim tricliniarchæ ſerui erant, ideoque iure ſic vocari poterant; ita ſeruorum ac ſer-

 uilium

l) p. IↃLXXVIIII. *inſcr.* 7.

m) p. IↃLXXV. *inſcr.* II. ſiue p. IↃLXXVI. *inſcr.* 6.

n) *theſ. inſcript.* p. IↃCCCCXVIIII. *inſcript.* 9.

o) *adpend. ad Ciaccon.* p. 344.

uilium officiorum nominibus mox additum: mox omiſſum *ſerui* nomen videmus. Documento ſit hoc, quod itidem GRVTERVS *p*) exhibet, marmor:

ANSIO. CAES. \ ERASTVS VEDI
MINISTRAT CAESAR. MINIST
LICCEIA. L. O. L. D.

et quod ex FVLVIO VRSINO *q*) ac LAVR. PIGNORIO *r*) ſupra adtuli: IVLIA. LOGAS. AMARANTHI. AVGVSTI. MINISTRATORIS TVRRIANI. Vtrumque ſi contuleris cum hoc GRVTERIANO: *s*)

D. M. S.

PARIS. IMP. DOMITIANI
AVG. GERMANICI. SER
MINISTRATOR. SIBI. ET
CLAVDIAE. AGATHAE. TYCHE
CONIVGI. BENE. MERENTI
QVAE. VIXIT. ANNIS XXI.

et cum MVRATORIANO: *t*)

SATVRNINO. CAES. N. SER. MINISTRATORI EX D. IIII. haud obſcure vera eſſe, quæ dixi, videbis. Non inepte igitur feceris, ſi ambas has modo recitatas inſcriptiones, GRVTERIANAM alteram: alteram MVRATORIANAM, de tricliniarchis intellexeris. Quid vero ſtatuamus de hac VIGNOLIANA *u*)?

TI.

p) p. IↃC.I *inſcr.* 3.
q) *adpend. ad Ciaccon.* p. 346.
r) *de ſeruis*, p. 130.
s)) p. IↃCI. *inſcript.* 5.
t) p. IↃCCCCXV. *inſcr.* 5.
u) apud VIGNOLIVM *inſcriptionibus ſelectis*, p. 283.

TI. CLAVDIO. AVG. L
DIOSCORO. A. CENA
CENTVRIONVM
TESTAMENTO
POSVERVNT
EVARISTVS. ET. THALAMVS
CONLIBERTO. B. M

VIGNOLII certe interpretatio, qua Dioſcorum hunc A CENA CENTVRIONVM ſic dictum fuiſſe, autumat, quod forſitan PRIMICERIVS CENARIORVM fuerit, eamque in rem ad hoc GRVTERIANVM *x*) ſaxum: HIC. IACET. NOMINE. MATRONA. C. F. IN PACE. VXOR. CORNELII. PRIMICERI. CENARIORVM cet. prouocat, mihi neutiquam placet, quidquid etiam de cenariis IAC. GVTHERIVS *y*) dixerit; ſeu potius commentus ſit. Etenim, ſi etiam in auguſtorum aula fuiſſent auri et argenti expurgatores, *cenarii*, vt GVTHERIVS vult, dicti; neque tamen cauſſam, quare hos cum illis *a cena centurionum* eosdem faciamus; neque, vtriusque adpellationis conuenientiam vllam video, maxime, quum *cenarii*, ſi qui fuerint, fatente ipſo GVTHERIO, ad auguſtæ domus officia; hi vero, *a cena* dicti, ad centuriones ſpectarunt. Ne dicam, maxime dubiam eſſe in hoc GRVTERIANO lapide vocabuli CENARIORVM lectionem. Summa enim cum probabilitate REINESIVS *z*), hunc lapidem:

M. STABI. VIRI. CENTVRIONI
COH. II. PR. TRICENARI

explicaturus, in Gruteriano ſaxo pro CENARIORVM ſcribendum eſſe DVCENARIORVM, contendit, quorum pasſim in antiquis lapidibus fit mentio, vt ibidem vir doctisſimus monſtrat. Si quid itaque iudico, hunc A CENA CENTVRIONVM tricliniarcham, credo, fuiſſe, qui in caſtris centurio-

x) p. CIↃLIII. *inſcript.* 8.
y) *de offic dom. aug. libr.* III. *cap.* 9.
z) *claſſ.* VIII. *inſcript.* 39. p. 525.

rionum vnius legionis cœnæ fuerit præfectus. Maiore certe probabilitate, seruum hunc centurionum tricliniarcham fuisse, credere, mihi videor; quam cum IO. MEVRSIO *a*), τὸν ἐδέατρον, quod nomen architriclinos gessisse olim, supra probaui, *procuratorum prægustatorem* in hac GRVTERIANA *b*) inscriptione vocatum esse, existimare:

DIIS MANIBVS
TI CLAVDII AVG. LIB
ZOSIMI. PROCVRAT
PRAEGVSTATORVM
CLAVDIA. ENTOLE. CONIVNX
VIRO. BENE. MERENTI
ET. CLAVDIA. EVSTACHIS
PATRI. PIENTISSIMO

Nisi enim me omnes rationes fallunt, prægustatorum procuratores eiusdem conditionis fuisse, credo; atque ἀρχιοινοχόους, ἀρχιτελώνους aliosque. Nam vti hi publicanorum, illi pocillatorum; sic isti prægustatorum præfecti sine omni dubio fuerunt.

XIIII

SATIS me, credo, dixisse de veterum scriptorum monimentorumque testimoniis, ex quibus, quid architriclinus sit et quæ eius ratio, intelligatur. Videamus nunc, quid ex iisdem confici possit, si singula inter se rite comparantur. Cuncta vero ponderanti et, quæ maiores de hoc officio memoriæ mandarunt, colligenti, ad hæc potissimum capita, quidquid de iisdem dicendum sit, mihi reuocari posse videtur. I. Raro architriclinorum facta est mentio; quoties vero eos reperimus commemorari; toties fere aliis nominibus adpellatos eos esse, legimus. Satis id ex supra excitatis ATHENAEI *c*), IVLII POLLVCIS *d*), EV-

a) *part.* II. *exercit. crit. cap.* 3. p. 14.

b) p. IↃLXXXI. *inscr.* 13.

c) *libr.* III. *dipnosoph.* p. 171.

d) *libr.* III. *onomast. segm.* 41. *libr.* VI. *segm.* 13.

EVSTATHII, *e*), HESYCHII *f*), CICERONIS *g*), THEODORETI *h*), et NONNI *i*) effatis patet, in quibus modo *ἐλέαγροι*: modo *τὴν ἐπιμελείαν τοῦ σισσιτίου ἔχοντες*: modo *οἱ προεστηκότες τῆς συσσιτίας*: modo *οἱ τῆς τραπέζης ἐπιμελούμενοι*, aut *οἱ προμηθούμενοι τῶν δείπνων* itemque: *πάντων τῶν περὶ τὴν ἑστίασιν ἐπιμελούμενοι*: *οἱ φροντίζοντες τῆς ὑπηρεσίας ἁπάσης*: *τραπεζοποιοὶ*: *ἐπιστάται τῆς ὅλης διακονίας καὶ παρασκευῆς τῆς τραπέζης*: *οἱ τῆς εἰλαπίνης μέδοντες*: *ἀρχιτρίκλινοι*, *tricliniarchæ*, *conuiuii conditores et instructores*, *serui a cœna* sunt dicti. Colligi vero quodammodo potest cum ex hac nominum diuersitate; tum quod nullum horum constans quasi vsuque communi receptum fuit, et, ad hæc, mentio ipsa horum architriclinorum minus frequens est, seruile hoc munus non adeo familiare et ita vsitatum fuisse, vt, quicunque seruos habuerint, ad epulas ministrantes, ii quoque in seruorum suorum familia eiusmodi architriclinum haberent. Vsus eorum, ni fallor, in regum potissimum et imperatorum augustorum aulis; aut opulentissimorum ciuium ædibus præcipuus fuit, vbi splendida conuiuia sæpius adparari solebant. II. Officium hoc seruile a Græcis Romani, ab his Iudæi videntur didicisse. De Græcis notissimum id est cum ex omnibus, a me supra exhibitis, ATHENAEI effatis; tum vero maxime ex illo *k*), quo hanc propriam Cretensium et pene domesticam fuisse consuetudinem, idem scriptor memorat, vt vxoribus suis conuiuiorum curam eorumque adparatum committerent, quod sine dubio haud obscurum indicium est, Græcis alioquin alium fuisse morem; neque vxores; sed seruos conuiuiis instruendis adhibitos fuisse. De Romanis res satis nota ex PETRONIO *l*) et inscriptionibus est, habuisse eos, et quidem opulentiores, apud quos omnia magnifica et splendida erant, eiusmodi architriclinos.

e) *comment. ad Homeri odyss.* A. p. 1403.

f) *lexic.* voc. *τραπεζοποιός*.

g) *orat. post reditum in senatu*, c. 6.

h) *libr.* IIII. *hist. ecclesiast. cap.* XV.

i) *paraphr. in Ioann. ad hunc loc.*

k) *libr.* IIII. *dipnosoph.* p. 143.

l) *loco excitato.* Adde IVVENCVM *libr.* II *histor. euangelicæ*, vbi architriclinum *summum ministrum* vocat.

nos. Neque aliis gentibus videntur defuisse, Persis inprimis, quod itidem ATHENAEVS *l*) et SVIDAS *m*) testantur. III. Tricliniarchæ serui fuerunt eorumque officium seruile. Patet id non solum quodammodo ex PETRONIO, qui tricliniarcham cum pueris seruis coniungit; sed ex marmoribus quoque, supra a me suppeditatis *n*). In his enim seruus, qui primum a potione, deinde a lagena fuit, tricliniarchæ postea munus administrauit, ne de aliis, ibidem exhibitis, dicam lapidibus *o*), in quibus tricliniarchæ diserte *serui* vocantur. In augustorum aula id officium libertis commissum esse, itidem lapides testantur *p*).

XV

QVAMQVAM tricliniarchæ ad seruorum pertinebant numerum; magni tamen IIII. olim eorum officium, in regum potissimum aulis, factum, adeo, vt dignissimi eodem fungerentur, id quod non solum ex ATHENAEO *q*) patet hisque eius verbis: *ἦν δ' ἐπιφανὴς καὶ ἔντιμος ἡ χρεία. Χάρης γοῦν ἐν τῇ τῶν ἱστοριῶν Πτολεμαῖον, φησί, τὸν Σωτῆρα ἐλέατρον ἀποδειχθῆναι Ἀλεξάνδρου, certe hoc munus honorificum atque illustre fuit. Itaque Chares libro tertio historiarum scribit, Ptolomæum cognomine seruatorem eleatron ab Alexandro designatum renuntiatumque fuisse*, et ex EVSTATHIO *r*): *ἦν δὲ ἐπιφανὴς καὶ ἔντιμος ἡ χρεία, erat officium honoratum et splendidum;* sed etiam ex saxis romanis, ex quibus satis constat, tricliniarchas in imperatorum aula aliis honorificis offi-

l) *libr.* IIII. *dipnosoph.* p. 145. Ex eodem scriptore *libr.* IIII. p. 150. haud obscure patet, Aegyptios epulas per coquos præparandas curasse vnique conuiuio instruendo sæpe plures adhibitos fuisse. Ex hoc vero probabile est, coquos sine dubio præfectum habuisse, cuius nutu omnia gererentur. Hic vero coquorum præfectus, si officii eius rationem spectamus, re ipsa quodammodo architriclinus fuit.

m) *lexic.* voce ἐδέατρος, *tom.* I. p. 677. ed. KVSTERI.

n) apud GRVTERVM p. IↃLXXVIII. *inscr.* I.

o) vid. GRVTERVM p. IↃLXXV. *inscr.* II. et MVRATORIVM p. IↃCCCXVIIII. *inscr.* 9.

p) vid. GRVTERVM p. CCCCLXXIII. *inscr.* 4.

q) *libr.* IIII. *dipnosoph.* p. 171.

r) *comm. ad Homeri odyss.* A. p. 1403.

officiis et muneribus perfunctos fuiſſe *s*). V. Architriclinus ſupremam totius adparandi conuiuii omniumque epularum, cœnaculo inferendarum, curam habebat. Patet id ex omnibus fere, ſupra a me in medium adductis, teſtimoniis, inprimis ex diuerſis eius, quotquot fere habuit, nominibus. Vocatur enim *architriclinus*, vt iam ſupra probaui, quoniam nimirum triclinio; ſiue potius menſæ, ad quam adcubatio epularis fieri ſolebat, erat præpoſitus. Vocatur eamdem ob cauſſam, vt itidem a me oſtenſum eſt, *τραπεζοποιός t*), *ἐπιστάτης τῆς παρασκευῆς τῆς τραπέζης u*), *ὁ ἐπὶ τῶν ἐδωδίμων καὶ τῆς τοιαύτης παρασκευῆς, x*) *ὁ πάντων περὶ τὴν ἑστίασιν ἐπιμελούμενος y*), *ὁ τῆς πάσης περὶ τὰ συμπόσια παρασκευῆς ἐπιμελούμενος z*), *ὁ ἔχων τὴν ἐπιμέλειαν τοῦ συσσιτίου a*), *ὁ προεστηκὼς τῆς συσσιτίας b*), *ὁ προμηθούμενος τῶν δείπνων c*), *inſtructor et conditor conuiuii d*), quæ omnia nomina, vbi inter ſe comparantur, abunde docent, eum, cui data illa ſint, conuiuiorum omniumque rerum, ad illa ſpectantium, totiusque epularis adparatus præpoſitum fuiſſe curasſeque cuncta, ſi vel vllo modo ad conuiuiorum horum præparationem pertinerent. Quam ob cauſſam, architriclinum quoque ſchedas illas puto confeciſſe, quæ, vt ex ATHENAEO a viris doctis *e*) monſtratum eſt, ferculorum miſſus vna cum epularum, menſæ imponendarum, ordine complectebantur, et

E 2 quas

s) vid. ſupra laudatam inſcriptionem apud GRVTERVM p. CCCCLXXIIII. *inſcr.* 4.

t) apud IVL. POLLVCEM *onomaſt. libr.* III. *ſegm.* 41. *libr.* VI. *ſegm.* 13. et HESYCHIVM, *lexic.* voc. *τραπεζοποιός*.

u) apud EVSTATHIVM *in Homeri odyſſ.* A. p. 1403.

x) vid. *etymolog. magnum*, voc. *ἐδέατρος*, p. 167.

y) conf. IVLIVM POLLVCEM *loco excitato*.

z) teſte HESYCHIO *loco memorat.*

a) auctore ATHENAEO *libr.* IIII. *dipnoſoph.* p. 143.

b) ibidem.

c) apud THEODORETVM *libr.* IIII. *hiſtor. eccleſ. cap.* 5.

d) *orat. poſt reditum in ſenatum, cap.* 6.

e) vid. IO. ROSINVM *libr.* V. *antiquitatum Romanar. cap.* 29. ed. Vltraiect. an. CIϽIϽCCI. p. 369. et MARTINVM MAVRITIVM *tract. de ſortitione vet. ebraeor. cap.* XXXV. p. 462.

quas ſympoſiarchæ; ſiue conuiuii magiſtro, tradere olim, moris erat, vt, quid primum, quid deinde, quid poſtremo cœnaculo inferretur, is ſciret. VI. Architriclinus non ſolum ciborum; ſed etiam potus rationem habuiſſe eiusque curam geſſiſſe videtur. Probari id, credo, poſſe non ſolum itidem ex eius nominibus, quibus triclinii totiusque conuiuii, ad quod non edulia ſolum; ſed et potiones pertinent, præfectus dicitur; ſed etiam ex IVLIO POLLVCE *f*), qui, haud obſcure eumdem fuiſſe pocillatorum præfectum, tradit. Poſtquam enim dixerat, *τραπεζοποιὸν*, quem architriclinum eſſe, ſupra oſtendi, fuiſſe *φροντίζοντα τῆς ὑπηρεσίας ἁπάσης*, diſertis verbis ad hanc *ὑπηρεσίαν*, cui præfectus fuerit *ὁ τραπεζοποιός, οἰνοχόους, pocillatores* refert, quod non, puto, factum fuiſſe, niſi architriclino etiam potionis ſupremam curam demandaſſent veteres.

XVI

VII. QVAMQVAM architriclinus totius conuiuii præfectus dicitur; neutiquam tamen, eum ipſum cibos præparaſſe; aut coquum egiſſe, exiſtimandum eſt. Quidquid ad inſtruendum parandumque totum conuiuium pertinebat, id iuſſu et auſpiciis eius per alios ſeruos factum eſt, quorum ſingulos ſingulis officiis præfectos fuiſſe, legimus. Proinde apud ATHENAEVM, EVSTATHIVM, SVIDAM, AVCTOREM *etymologici magni*, IVLIVM POLLVCEM eidem omnes ſeruos tricliniares, vt ſectores, coquos, obſoniorum paratores, pincernas, ſubiectos eumdemque *ἐπιστάτην τῆς ὅλης διακονίας*, *omnium ſeruorum, ad triclinia miniſtrantium, præfectum* fuiſſe, videmus. Per alios itaque quæuis epularum genera coemenda: per alios adparanda: per alios apte in menſa, ad quam diſcumbere amicos ſuos dominus volebat, collocanda et diſponenda: per alios ſcite ſcindenda et, vt multa paucis complectar, omnia, quæcunque ad conuiuium adornandum, inſtruendum, conficiendumque neceſſaria videbantur, per ſeruos hos tricliniares per-

a-

f) *loco excitato.*

agenda curabat, quæ omnia ſatis ſuperque ex IVLII POLLVCIS teſtimonio poſſunt confirmari, ſi cum iſto ſupra a me data ATHENAEI, EVSTATHII, SVIDAE, HESYCHII, CICERONIS aliorumque effata comparantur, et ex architriclinorum obuiis ibi nominibus ipſa eorumdem officii ratio diiudicatur. Ex his porro VIII. conficitur, tricliniarcham reliquis ſeruis vt dignitate; ſic auctoritate quoque, ſi qua ſeruis tribuenda eſt, antecesſiſſe. Alterum enim ſeruile officium altero ſemper honeſtius exiſtimabatur, quod et in ipſa ſeruorum tricliniarium familia vſu veniſſe, quodammodo probari poteſt. Prouoco ad hanc, ſupra a me datam, inſcriptionem *g*): M. VLPIO. AVG. LIB. PHAEDIMO. DIVI. TRAIANI. AVG. A. POTIONE. ITEM. A. LAGVNA. ET. TRICLINIARCHA cet. in cuius interpretatione hoc inprimis tenendum eſt, ſæpe munera, quæ quis antea habuit, iis, quibus poſtea perfunctus eſt, in inſcriptionibus adiungi ſolere. Recte id cel. LVD. ANTONIVS MVRATORIVS *h*), hanc inſcriptionem illuſtraturus: D. M. EVTYCHVS. CAES. N. SER. VERN. PED. A. VINIS cet. vidit, Eutychumque hunc ſeruum mirandi ipſi cauſſam præbere, ſcripſit, *quod* PED. *id eſt*: *pediſſequus ſimul fuerit atque* A VINIS, *hoc eſt*: *cellæ vinariæ præpoſitus, aut potius, qui vinum familiæ Palatinæ partiretur*, additis deinde his verbis: *fortaſſe diuerſo tempore officiis hiſce præfuerit*. Certe de Vlpio noſtro id mihi perſuadeo eumque primum pocillatorem, deinde ſeruum a lagena, poſtremo tricliniarcham Traiani fuiſſe, exiſtimo, maxime, quod XXVII. annum iam excesſiſſe, in marmore is dicitur, quæ ætas vltra puerilem, pocillatorum apud veteres propriam *i*), adſur-

g) ex GRVTERO p. IↃLXXVIII. *inſcr*. I.

h) *theſ. inſcript. tom*. II. *claſſ*. 12. p. IↃCCCLXXXXVIIII. *inſcr*. 6.

i) vid. ex græcis ſcriptoribus ATHENAEVM *libr*. X. *dipnoſoph*. p. 424. LVCIANVM *in aſino, tom*. II. *operum*, p. 114. ed. GRAEVII: PHILONEM *de vita contemplatiua*, p. 896. EVSTATHIVM *comm. in Homerum libr*. IIII. *Iliad. tom*. III. p. 963. edit. POLITI, ex

adſurgit, ne dicam, lagenæ præfecturam cum tricliniarchæ prouincia vix coniungi poſſe; neque vnquam coniunctam reperiri. Hæc vero quum ita ſint, facile ex ipſo marmore vinci, puto, poſſe, tricliniarchæ munus illo, quo pocillatores ſeruosque a lagena functos eſſe, legimus, vt ceteris omnibus tricliniaribus, teſte IVLIO POLLVCE *k*), honorificentius fuiſſe.

XVII

QVAE omnia ſi rite expenduntur, facile ii, refutari poterunt, qui, vt ſupra audiuimus, architriclino noſtro modo ſymposiarchæ: modo ἀρχιοινοχόου: modo prægustatoris, diſpenſatoris; aut ſtructoris munus imponunt. Quodſi enim architriclinus ad ſeruorum ſpectauit familiam, vt ſatis ex inſcriptionibus probari poteſt, in quibus eius munus cum aliis ſeruilibus coniungitur: ſi eum diſerte in aliis *ſeruum* vocatum eſſe, legimus, nemo facile ſibi perſuadebit, eum ſymposiarcham fuiſſe, quem principem inter conuiuas obtinuiſſe locum, ſupra audiuimus. Nec effici quidquam poſſe, arbitror, hoc IVLII POLLVCIS *l*) teſtimonio: ὁ μὲν οὖν συνιςὰς τὸ συμπόσιον, ἑςιάτωρ, ἑςιῶν, ξενίζων, συμποσίαρχος, συμποσίȣ ἄρχων. ὁ τῆς συνȣσίας ἡγεμών. ὁ γὰρ οἰκοδέγμων, τραγικόν. καὶ ἄλλως δὲ, καλεῖται συμποσίαρχος, ὁ ἐν ἰσοτελεῖ τινὶ κοινωνίᾳ κατὰ κλῆρον, ἢ κατὰ δόγμα προαιρεθεὶς τȣ̃ συμποσίȣ ἐπιμελητὴς, *conuiuium præter ea conſtituens heſtiator, conuiuator, hoſpes, ſymposiarchus, conuiuii princeps, congregationis dux dicitur.* οἰκοδέμων *enim tragicum eſt. Aliter enim ſymposiarchus dicitur, qui in communi quodam et omnium æquali ſumtu, inſtituto conuiuio, ſorte, aut omnium ſententia, electus, conuiuii procurator eſt.* Vti enim ἐπιμελητὴς τȣ̃ συμποσίȣ, ſiue *ſymposiarcha*, et ἐπιμελητὴς τȣ̃ τρικλίνȣ καὶ τῶν δείπνων, ſiue *tricliniar-*

ex LATINIS: HORATIVM *libr.* I. *od.* 29. v. 8. *libr.* II. *ſerm.* 8. v. 70. SENECAM *epiſt.* CXX. aliosque plures.

k) *loco excitato.*

l) *libr.* VI. *onomaſt. ſegm.* II. p. 569.

Aliis argumentis eos, qui architriclinum eumdem cum ſymposiarcha fuiſſe, ſtatuunt, refutauit BASNAGIVS *annalibus politico-eccleſiaſticis tom.* I. p. 269.

cliniarcha ita differre, mihi videntur, vt τὸ συμπόσιον ipſum conuiuium vna cum conuiuis complexu ſuo teneat; triclinium vero ad menſas ſolum, epulis inſtructas, referatur, ideoque *ſympoſiarcha* conuiuarum; *tricliniarcha* contra ipſius conuiuii, quoad eius adparatum reſpicimus, præfectus dicatur, ita vtrique conuiuii ἐπιμελεία adſcribi potuit, quamuis alterum officium ab altero plane disiunctum fuerit ac diuerſum. Idem tenendum eſt de ἀρχιοινοχόου, ſiue archipincernæ, officio. Architriclinus noſter pincernarum quoque præfectus quodammodo fuit, vt ex IVLIO POLLVCE adparet, quod equidem haud nego. Is enim, vt itidem ſupra monſtraui, architriclinum Φροντίζοντα vocat τῆς ὑπηρεσίας ἁπάσης, ad quam diſerte οἰνοχόους quoque refert. Vti autem vel ex ipſo hoc effato, architriclinum reliquorum etiam tricliniarium ſeruorum præfectum fuiſſe, ſatis patet, quod nemo de archipincerna affirmabit; neque vnquam, hunc ciborum curam habuiſſe, legimus, quorum tamen adparatum in principe officii architriclini parte poſitum fuiſſe, ſupra audiuimus; ita vel ex hoc ipſo intelligi poteſt, diuerſa olim fuiſſe ſeruilia illa architriclini et archipincernæ officia.

XVIII

QVID vero de prægustatoribus ſtatuamus? Recte ſentire mihi videntur, qui in hac quæſtione diſcutienda duplex prægustatorum genus olim fuiſſe, arbitrantur. Vnum eorum genus in culina fuit, alterum in cœnaculo: illud, quid palato ſit optimum, iudicare: hoc, ne cibus; aut potus veneno infectus ſit, explorare ſolebat. De illis, ſiue de prægustatoribus cœnaculi, ſupra iam diximus; de his contra, qui in culina cibos prægustarunt, verba ARNOBII *m*) intelligenda ſunt, quibus focorum deo prægustatoris perſonam imponit ac, dum illum deſcribit, huius ſimul, quod fuerit officium, haud obſcure docere videtur: *per humani generis coquinas currit* cet. *curat, vt ad ſen-*

m) *libr.* IIII. *aduerſus gentes*, p. 131.

ſenſum palati ſuis cum iucunditatibus veniant rerum incorruptarum ſapores et, an rite pulmenta condita ſint, experitur ac prægustatoris fungitur officio. Hoc poſito diſcrimine, ad ipſam de architriclino quæſtionem dari facilem, credo, poſſe reſponſionem. Quodſi enim: num ad prægustatores referendus architriclinus ſit? quæratur, de altero eorum genere id, cenſeo, adfirmandum: de altero negandum. Tantum abeſt, vt architriclinus prægustatoris officio in cœnaculo functus ſit cibumque et potionem veneni cauſſa prægustauerit, vt ex ipſis ſupra a me in medium adlatis ATHENAEI, EVSTATHII et SVIDAE verbis, quibus ἐλεάτρου nomen primum prægustatoris, deinde architriclini fuiſſe, perhibetur, vtriusque diſcrimen ſatis ſuperque conſtare, firma ſtatutaque ſententia mihi perſuadeam. Quoniam autem ciborum et potus præfectus architriclinus erat: quoniam porro, vt omnia rite præpararentur et ad palatum præparata menſæ imponerentur, curabat: quod denique omnes coqui, piſtores, pincernæ, ſerui a vinis cet. ipſi erant ſubiecti, architriclinum, quodcunque cœnaculo inferretur, antea guſtaſſe, ac, num omnia ciborum genera ad guſtum facta ſint, exploraſſe, non ſine probabilitate adfirmari poteſt. Tametſi igitur negare penitus nequaquam volo, vocari quodammodo, ſi culinam et ciborum adparatum reſpicimus, architriclinum *prægustatorem* poſſe; errare tamen omnes mihi videntur, qui in cœnaculo id munus obiiſſe architriclinum, arbitrantur, eamque in rem ad veterum ſcriptorum loca prouocant, in quibus de hoc prægustatorum genere eſt ſermo. Sic quoque de diſpenſatore ſi quæratur: fueritne huius et architriclini munus vnum idemque? pari modo iudicandum eſſe, neque ſine cauſſa ſtatuo. Non negabo, fieri potuiſſe, vt architriclinus diſpenſatoris ſimul munere in vna domo; aut familia fungeretur; re ipſa tamen vtriusque officia fuerunt diuerſa latiusque huius; quam illius, patuerunt partes, quod neminem facile, credo, negaturum, ſi, quæ ſupra de diſpenſatoribus, cum his, quæ de architriclino tradidi, comparauerit.

XVIIII

XVIIII

NEQVE vero non pedem mihi videntur offendere, qui, vt iam ſupra dixi, ſtructores cum architriclinis eosdem faciunt. Lapſi vero in hac quæſtione nonnulli eo facilius ſunt, quod diſcrimen inter τραπεζοποιὸν et τραπεζοκόμον, quem THOM. DEMPSTERVS *n*) falſo τραπεζονόμον vocat, neglexerunt, quo factum eſt, vt, quum τραπεζοκόμον ſtructorem adpellari viderent, hunc ſimul, græca nomina confundentes, cum architriclino confunderent. Vt τραπεζοποιὸς a τραπεζοκόμῳ, ſic architriclinus a ſtructore, niſi me omnes rationes fallunt, diſtinctus fuiſſe, videtur. Differentiam haud obſcure docet, ad quem ſæpius iam mihi prouocandum fuit, IVLIVS POLLVX *o*). Is enim expreſſis verbis τραπεζοποιὸν a τραπεζοκόμῳ ſecernit, et hunc illi ſubiicit, haud obſcuro indicio, vtriusque munera inter ſe diuerſa fuiſſe. Τραπεζοκόμος dicitur Græcis, qui menſam ornat, vt νυμφοκόμος, qui *ſponſam*, τριχοκόμος qui *comam*, ὡραιοκόμος, qui *formam aliquam ornat*. Eius officium fuit, epulas ſcite in menſis diſponere iisdemque ornatum qualemcunque conciliare. Deinde nomen hoc iis ſpeciatim datum eſt, qui artem, carnes ac quosuis cibos apte ſcindendi, profiterentur. Perſpicue id tradit hoc PLVTARCHI *p*) effatum: ἀλλ' ἄτοπα καὶ κυνικά, καὶ τελευτῶντα πολλάκις

n) *not. ad Roſini libr. v. ant. Rom. cap.* 29.

o) *libr.* VI. *ſegm.* 13. p. 570. Sunt quidem, qui etiam τραπεζοποιὸν pro ſtructore; ſiue pro τραπεζοκόμῳ a græcis ſcriptoribus paſſim vſurpatum eſſe, volunt, eamque in rem ad CLEMENTEM ALEXANDRINVM *libr.* III. *pædagog. cap.* 4. p. 268. ed. POTTERI prouocant. Sed falluntur, qui ſic ſtatuunt. Omnes enim rationes docent, CLEMENTEM diſtinguere τὸν τραπεζοποιὸν ἀπὸ τῶν ἐντέχνως εἰς μοίρας κατατεμνόντων τὰ κρέα ſiue ἀπὸ τῶν δαιτρῶν, qui vero a me excitatum PLVTARCHI effatum expenderit, videbit τραπεζοκόμον fuiſſe δαιτρὸν adpellatum, igitur per τραπεζοποιὸν apud CLEMENTEM non poſſe τραπεζοκόμον intelligi.

p) *libr.* II. *ſympoſ. problem.* 10. p. 644.

κις εἰς λοιδορίας καὶ ὀργάς, οὐ καθ' ἀλλήλων μόνον, ἀλλὰ καὶ κατὰ τῶν τραπεζοκόμων καὶ κατὰ τῶν ἑστιώντων. ὅσον δὲ χρόνον ἡ Μοῖρα καὶ ἡ Λάχεσις ἰσότητα τὴν περὶ τὰ δεῖπνα καὶ συμπόσια κοινωνίαν, ἐβράβευον, οὐθὲν ἰδεῖν ἄκοσμον ἦν, οὐδ' ἀνελεύθερον. ἀλλὰ καὶ τὰ δεῖπνα δαῖτας ἐκάλουν καὶ τοὺς ἑστιωμένους δαιτυμόνας, δαιτροὺς δὲ τραπεζοκόμους ἀπὸ τοῦ διαιρεῖν καὶ διανέμειν, *sed absurda hæc sunt, canina et quæ pleraque in conuitia et rixas desinant, non conuiuarum modo inuicem; sed etiam aduersus mensarum ministros et greges. Quamdiu autem Mœra et Lachesis, cui a sorte nomen, in cœnarum et conuiuiorum communione æqualitatem administrauerunt, nihil videre licuit indecorum, nihil illiberale; sed et conuiuia dætas, et conuiuii regem dætymonem et ministros mensæ daetros a distribuendo et diuidendo dicebant.* Duplicem hanc significationem etiam latinum *structoris* vocabulum habet, quod luculenter ex comparatis inter se ATHENAEI *q*), PLAVTI *r*), SENECAE *s*), MARTIALIS *t*), IVVENALIS *u*), LAMPRIDII *x*), aliorumque effatis apud IO. WOWERIVM *y*), IVSTVM LIPSIVM *z*), RADERVM *a*), TITVM POPMAM *b*), doctos PLAVTI interpretes *c*), IS. GRANGAEVM *d*), IO. GVIL. STVCKIVM *e*), IVLIVM CAES. BVLENGERVM *f*), FVLV. VRSINVM *g*), et CLAVD. SALMASIVM *h*) satis patet. Structor itaque est τραπεζοκόμος, tricliniarcha vero et architriclinus τραπεζοποιός. Architriclinus etiam ab ἀρχιμαγείρῳ, cuius, præter græcos scriptores, IVVE-

q) *libr.* III. *dipnosoph.* p. 170.
r) *menæchm. act.* I. *scen.* I. v. 25.
s) *de vita beata, cap.* XVII.
t) *libr.* X. *epigr.* 48. v. 15.
u) *sat.* V. *v.* 120. *sat.* VII. *v.* 184. *sat.* XI. v. 133.
x) *vita Elagabal. cap.* XXVII.
y) *not. ad Petronium*, p. 145. *edit.* BVRMANNI.
z) *libr.* II. *saturnal. sermon. cap.* 2.
a) *not. ad Martialem, libr.* X. *epigr.* 44.
b) *de operis seruorum*, p. 117.
c) ad modo excitatum locum, p. 691. edit. TAVBMANNI.
d) *notis ad Iuuenalis sat.* V. p. 117. edit. HENNINII.
e) *antiquit. conuiual. libr.* III. *cap.* 3.
f) *de conuiuiis, libr.* III. *cap.* 4. p. 210.
g) *adpend. ad* Ciaccon. *de triclin.* p. 342.
h) *not. in* Capitolin. *Ver. cap.* V.

IVVENALIS *i*) mentionem fecit, fuit diuerſus. Ille omnium ſeruorum tricliniarium totiusque adparatus conuiualis, hic coquorum ſolummodo et ciborum præfectus fuit, quamquam maxime probabile eſſe credo, vtrumque officium ſæpe vni ſimul commiſſum fuiſſe.

XX

SATIS ex his, quæ in præſenti expoſita a me ſunt, architriclini rationem conſtare, puto, poſſe, cuius mentionem factam a IOANNE eſſe, ſupra audiuimus. Reſtat, vt pauca his adtexam, quæ ad ipſa diuini ſcriptoris de eo verba illuſtranda ſpectare præcipue videntur. Dicendorum ſumma ad hæc potisſimum capita reuocari poteſt. I. Ipſum ἀρχιτρικλίνȣ vocabulum pertinet ad τὰ ἅπαξ λεγόμενα in ſacris tabulis; nec alibi id, nedum in profanis auctoribus, legitur; res ipſa tamen, vt oſtenſum a me eſt, ſatis manifeſte docet, qui a Ioanne ἀρχιτρίκλινος, eumdem ab aliis ſcriptoribus, *tricliniarcham*, ἐδέατρον, τραπεζοποιὸν, τὸν τῆς τραπέζης ἐπιμελȣ́μενον aliisque nominibus vocatum eſſe. II. Quanquam ſupra a me dictum eſt, tricliniarchas in opulentisſimorum ſolummodo ciuium ædibus fuiſſe; minus recte tamen, ſponſæ huic eiusque marito amplisſimas fortunas fuiſſe, conficies, ſi, hunc nuptiali ſuo conuiuio architriclinum adhibuiſſe, legeris. Fuerunt enim, apud Romanos ſaltem, a quibus talis conſuetudo ad Iudæos videtur tranſiiſſe, eiusmodi homines, qui, ſi conuiuium dandum erat, huius inſtruendi adparandique negotium ſuſcipere operamque ſuam locare ſolebant. Haud obſcure id ex IVVENALI *k*), probari poſſe, arbitror. Is enim, dum canit:

Sed nec ſtructor erit, cui cedere debeat omnis pergula,

videtur ſimul eo ſignificare, fuiſſe in pergulis eiusmodi homines, qui ibi publice quaſi artem ſuam profiterentur aliosque docerent, nullam fere aliam ob cauſſam, quam vt populo innoteſcerent, aditumque ſibi, ſi arte et opera eorum opus foret, ad

i) *ſat.* VIII. v. 109.

k) *ſat.* XI. v. 136.

cœnacula ciuium epulantium pararent. Vide IVL. CAESAREM BVLENGERVM *k*) et doctisſimos IVVENALIS interpretes, IS. GRANGAEVM *l*), IO. BRITANNICVM, *m*) DOMIT. CALDERINVM *n*) aliosque. Maxime vero, ſi quid ego iudico, probabile mihi videtur, vt ſtructores; ſic quoque alios miniſtros et forſitan peritos coquos in eiusmodi pergulis frequentes adfuiſſe, qui in conuiuiis tenuioris fortunæ ciuium; aut etiam nuptialibus, architriclinorum perſonam agerent, ac eodem, quo hi, munere et officio fungerentur, ita, vt vel pro certa, quam paciſcebantur, pecuniæ ſumma totum ciborum et potionis adparatum coemendum totumque epulum inſtruendum ſuſciperent; vel, quod certe in hoc noſtro nuptiali conuiuio verius eſt, quidnam ex ciborum genere emendum eſſet: quid ad præparandas epulas, ad menſæ ornatum requireretur, patrem familias docerent, ac deinde, facta ab hoc rerum neceſſariarum coemtione, omnia per ſeruos rite præparanda, inſtruenda, ordinanda, diſponenda curarent, et, vt ſummatim loquar, ſupremam totius huius negotii; maxime vero epularum præparationis, curam gererent. Huius generis architriclinum fuiſſe eum, iudico, quem diuus IOANNES nuptiali iſti conuiuio præfuiſſe, dicit, ea potiſſimum de cauſſa, quod is, optimum vinum ad conuiuii exitum contra conſuetudinem dediſſe maritum, arbitratur; ſic vero loqui non potuiſſet, ſi etiam vini emtio ipſius curæ demandata fuiſſet; niſi dicere velimus: aliam ciborum, aliam vini rationem fuiſſe: architriclinum pro certa, quam pactus fuiſſet, pecuniæ ſumma illorum; conuiuii vero dominum huius copiam neceſſariam adparaſſe, hocque facto, architriclino ſolum vini, quum ab ipſo guſtatum et probatum fuerit, per ſeruos in cœnaculum iuſto tempore inferendi curam relictam fuiſſe.

XXI

k) *de conuiuiis, libr.* IIII, *cap.* 4. p. HENNINII. 210.

l) *not. ad hunc locum*, p. 313. *edit.*

m) ibid. p. 621.

n) p. 745.

XXI

III. Qvaestionem video a nonnullis adferri, quid ſit, quod ſeruator noſter vinum ad architriclinum portari iuſſerit. Sunt, qui ipſi, tanquam prægustatori, oblatum illud arbitrantur, quod equidem haud negauero, dummodo ne diſcrimen, quod inter prægustatorem culinæ et cœnaculi fuiſſe, ſupra dixi, negligatur; quod tamen plurimos et in his quoque gonsalivm de salas *o*) feciſſe, video. Alii, et in his nonnulli antiquiores doctores, iusſiſſe id ea de cauſſa ſeruatorem, opinantur, quod architriclinus ſobrius; conuiuæ vero vino pene confecti fuerint; per conſequens vero ille, quod incorruptum guſtandi iudicium habuerit, longe melius; quam hi, vini huius bonitatem indagare ſenſibusque percipere potuerit; quam quidem ſententiam recte alii refutarunt et ſine dubio in hoc conuiuio, præſente ſeruatore noſtro, omnia ſobrie et decore acta fuiſſe, arbitrati ſunt. Si, quæ ego de hac quæſtione ſtatuam, dicenda mihi ſunt, ſeruos cum vino ad architriclinum a ſeruatore ablegatos eſſe, arbitror, cum quod ipſe, tanquam ſummus totius conuiuii præfectus, potionis curam habebat, nihilque, ipſo inſcio; aut ſine eius iuſſu, in cœnaculum a ſeruis miniſtrantibus inferri menſæque imponi debebat *p*); tum vero maxime, vt tricliniarcha, quem perpetuo et quotidiano fere vſu vini bonitatem experiri didiciſſe; per id vero eius virtutem guſtu explorare omnium optime potuiſſe, facile quiuis ſuſpicari poterat, inſigne hoc miraculum, quum vinum laudaturus et adprobaturus eſſet, teſtimonio ſuo, cui his de cauſſis multum poterat tribui, confirmaret, eiusque veritatem corroboraret. Videmus ſimul ex hoc ſeruatoris mandato, vini curam etiam ad architriclini officium pertinuiſſe, quod andreas baccivs *q*) negaſſe videtur

o) *notis ad Petronium*, p. 90. *edit.* bvrmanni. Adde sam. basnagivm *annalibus politico eccleſiaſticis*, *tom.* i. p. 269.

p) ſatis id ex ſupra dictis confici poteſt, maxime ex athenaei, ivl. pollvcis, evstathii, svidae, hesychiique effatis.

q) *de conuiuiis*, *libr.* ii. *cap.* 6. p. 57.

tur his verbis: *architriclinus iuxta cœnæ indicem præscribebat modum, quo ordine et quæ danda essent edulia; sicut et οἰνόπτης dicitur vinorum magister et quæ essent propinanda.* IIII. Vidisse quid in vocabulo φονέω, quod IOANNES de architriclino, sponsum ad se vocante, vsurpauit, sibi visus est RAPHELIVS *r*), ex quo, elata voce ab illo hunc compellatum esse, posset probare. Post RAPHELIVM eidem sententiæ addictum se esse, cel. IO. CHRISTOPH. WOLFIVS *s*) haud obscure his verbis declarat: *non eum ad se arcessit; sed elatiori tantum voce adpellat, vt fieri necesse est in conuiuali strepitu, præsertim si quis ex interuallo alterum adloquatur.* Tametsi vero, vocabulo huic nonnunquam istam significationem dandam esse, haud plane nego, imo in ea ipse sum sententia, eam commode nostro effato interpretando posse adhiberi; tantum tamen abest, vt architriclinum hæc, quæ IOANNES refert, et quæ certe parum conuiuis poterant sponsum commendare, publice in omnium conspectu dixisse, mihi persuadeam, vt, pro ipsa hac vocabuli significatione, architriclinum non in cœnaculo fuisse; sed sponsum ex illo ad se vel accersiuisse; vel accersendum curasse, existimem. Ita vero vel ex hac περιστάσει eorum sententia, qui inter architriclinum et symposiarcham discrimen fuisse, negant, quodammodo potest refelli *t*). V. IOANNES, architriclinum sponso legem de vino, conuiuis dando, dixisse, refert. Quemadmodum autem ex eo facile patet, eum miraculi insignis, a seruatore editi, adhuc ignarum fuisse; ita, si, architriclinum tam vini; quam ciborum rationem habuisse, æquum est statuere, comprobari ex his eius sermonibus potest, eum non vini solum et ciborum adparatus horumque præparationis curam gessisse; sed etiam, quid moris esset et consuetudinis in epularum et potionum delectu: qua ratione ferculorum missus consequi deberent: quo porro ordine vina conuiuis offerenda essent, dominum pariter ac eius seruos ministrantes docere debuisse.

r) *notis Xenophonteis*, p. 126.

s) *cur. philolog. et crit. in* IIII. *euangelia*, p. 806.

t) de iis, quæ architriclinum ad sponsum dixisse, memorat diuus IOANNES, ne nimis me diffundam, in præsenti taceo. Consuli possunt, quæ de hoc argumento FRID. ADOLPH. LAMPIVS *comm. in Ioann. tom.* I. p. 512. GEORG. VECHNERVS libro *de austeritate Christi erga matrem*, Lesnæ, CIƆ IƆCXXXX. 8. et postea Holmiæ edito: THEOD. HACKSPANIVS *not. philolog. theolog. in varia et difficilia scripturæ loca, part.* III. p. 403. DAN. FESSELIVS *aduersar. sacris, tom.* I. p. 248. 520. aliique fusius disputarunt.

FINIS.

p. XI lin. 3. lege בעל et p. XXIIII. lin. 28. *σύνδειπνοι.*

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

IOANNI MATTHAEO VNOLDO

S. P. D.

IOANN. GEORG. WALCHIVS

Quum ii demum recte ſibi conſulunt ſuæque ſaluti proſpiciunt, qui a ſolida eruditione æque ac a probis moribus commendari ſe volunt; neque vnquam patiuntur, litterarum culturam a virtutis ſtudio diuelli, quemque facile, arbitror, intelligere poſſe, me ſummas tibi gratulandi præ me habere rationes. Sapientiſſimam vitæ academicæ rationem es ingreſſus, teque ſemper ita geſſiſti, vt laudem probi, diligentis *optimeque morati* ciuis tuereris fortiter ac grauiter defenderes. Commendationi tuæ iam videbatur ſufficere, a ſumme reuerendo IO. GEORGIO SCHELHORNIO, quem honoris cauſſa nomino, te laudari et diligi; tantum tamen abfuit, vt tua hac, tibi tam honorifica, laude abutereris; aut in ea adquieſceres, vt ad eo maiora in litterarum ſtadiis emetienda ſpatia tibi enitendum ſpemque, de te conceptam,

non æquandam modo; ſed ſuperandam abs te eſſe, ſapienti conſilio putares. Neque conatibus tuis euentus defuit exoptatiſſimus. Tam egregias enim cum in ſanctiorum; tum politiorum litterarum diſciplinis tibi collegiſti doctrinæ opes, vt patria tua merito de te lætari ſibique maximam ex tua, quam tibi comparaſti, eruditione promittere poſſit vtilitatem. Gratulor tibi de egregio induſtriæ tuæ ſpecimine, quod craſtino die in lucem edes publicam deque litterato certamine abs te non ſine magna laude inſtituendo. Precor ſimul æternum et benigniſſimum numen, vt vires tuas animæ pariter ac corporis florentiſſimas: rerum tuarum ſtatum proſperrimum tuosque in litterarum ſtudiis laudabiles conatus feliciſſimos fortunatiſſimosque efficiat. Vale ac de me tibi perſuade, me omni tempore laudis et honoris tui fore ſtudioſisſimum. Ienæ, d. IIII maii, anno chriſtianorum CIↃIↃCCLIII.

VIRO

VIRO

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

IOANNI MATTHAEO VNOLDO

AMICO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

PRAESES

Ex quo TE propius nosse et suauem illam animi integritatis et solidioris doctrinæ in TE coniunctionem cœpi admirari, cœpi simul tanto effusius de TE lætari; quanto præclariora virtutis TVAE et laudabilis diligentiæ documenta in hac musarum officina a primis vitæ TVAE academicæ annis exstare voluisti. Nisi, TE parcissimum esse, scirem, laudum TVARVM æstimatorem, quanti exquisitas ingenii TVI opes faciam, profecto TIBI in præsenti significarem, et, quantam præceptores TVI ex indefesso TVO litterarum studio TVOque, quem in TE summum ipse in scholis meis cognoui, proficiendi ardore ceperint voluptatem, fusius TIBI exponerem. Sed nolo, TE, vt decet, laudando, TVAque, quæ sane magna sunt et pene inuidenda, ornamenta publice ostendendo, et TVAM lædere modestiam; et eo-

rum inuidiam in TE concitare, qui, litterarum et cum his suæ ipsius felicitatis fastidiosi, in ipso sapientiæ domicilio desipere: in hac artium palæstra inertiores sæpe fieri, et, quod non sine tædio, quasi in aliquod pistrinum detrudantur, præceptorum scholas obeunt, velut naufragi, miseram fortunæ suæ iacturam facere solent. Ab hac infelici turba quam longissimo interuallo TE semper disiunxisse, vti multis egregiis speciminibus testatus es; sic nouum his addere et, quam TV sæpius in societatis Latinæ consessu eleganter perorando demonstrasti, præstantis TVI ingenii vim et eruditionem haud vulgarem acute et subtiliter disputando publice in philosophorum exedra crastina luce ostendere, laudabili exemplo meditaris. Quod laudabile consilium vt fortunatissimo concludatur exitu TIBIque omnia fauste feliciterque eueniant, omnes boni mecum optant, qui, quanti in TE ad omne decus laudemque sunt stimuli, tantos quoque, hoc est maximos, ex TVA diligentia et virtute patriæ TVAE dulcissimæ pollicentur fructus. Ienæ, d. IIII. maii, anno reparatæ mortalium salutis CIↃIↃCCLIII.

NOBI-

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

VIRO

IOANNI MATTH. VNOLDO

S. P. D.

CHRIST. GVIL. FRANC. WALCHIVS.

QVO arctiori amicitiæ et *consuetudinis vinculo* TEcum coniunctus fui; quoue maiorem laudis TVAE accessiones semper adtulerunt mihi voluptatem; eo lætius gratulandi officium, quod a me iure TVO exspectas, iam TIBI præsto. Quodsi enim reputo, quanta sit ingenii TVI præstantia: quam sapiens studiorum, quam ingressus es, ratio: quam constans in amplectendis variis humanæ diuinæque sapientiæ disciplinis diligentia, facile augurari mihi licet, fortunatissimum futurum esse consilii TVI de publice suscipiendo certamine litterario exitum. Haud mediocrem inde ad TE redundaturam esse gloriam, certissime persuasum habeo, non vana opinione; sed laudis, quam ex doctissimis commentationibus, partim in lucem publicam emissis et communi peritiorum adprobatio-

ne celebratis; partim priuatim in conſeſſibus noſtræ ſocietatis recitatis, adhuc conſequutus es, exemplis luculentis adductus. Hinc non eſt mirum, magnam eſſe patriæ TVAE de TE ſpem, quam vt cæleſti gratia munitus omnibusque, quæ ad conſtituendam veram hominis fefelicitatem neceſſaria ſunt, beneficiis cumulatus omni tempore poſſis confirmare, deum precor immortalem. De me quidem ita ſentias, vt me non ſolum ad quæuis officia, TIBI præſtanda, paratisſimum ſemper eſſe; ſed etiam a TE ſemper amari, cupere, certe credas; *neque vmquam voluptate illa*, quam ex TVO in me amore capere ſoleo, me carere, patiaris. Vale. Ienæ d. IIII maii ann. reconciliatæ hominibus gratiæ diuinæ CIↃIↃCCLIII.

NOBI-

NOBILISSIMO
VNOLDO
AMICO ET SODALI
EXOPTATISSIMO
S. P. D.
DISSENTIENS
LVDOVICVS GVILIELMVS BALLHORN
HOLSATVS SANCT. DOCT. CVLT. ET SOC. LAT. IEN. COL

QVOD dudum fecissem, si testificandi in TE mei officii, vti voluntas, ita etiam opportuna occasio exstitisset, admodum nunc libenter facio et, quanto nostro iure TV mihi sis, et esse debeas, carissimus, publice iam TIBI profiteor. Ex quo enim tempore propius TE cognoui, HVMANISSIME VNOLDE, duplici TE ornamento inprimis excellere intellexi: vno, quod eos habes TVORVM studiorum fautores, quorum nomina quo sunt illustriora, eo TIBI est, talibus probari, honorificentius; altero, quod eximiis naturæ et ingenii eisque dotibus es instructus, quibus, facile est, summa adipisci, præsertim tanta cum virtute enitenti. Quorum quidem licet hoc sit præstantius; quippe quo istud demum es consequutus: vtrumque tamen eo maiori TIBI est laudi, vtroque quod vti didicisti. Ne quid enim de suauitate morum TVORVM humanitateque iam prædicem, quam, qui TE norunt, magni omnino faciunt: certe, quam TV sis strenue in litterarum et doctrinæ stadio progressus, et ipse hic libellus declarat, et illa propediem palæstra, in qua se TVA exercebit virtus, declarabit, simulque, quam feliciter cum rerum humanarum cognitione diuinarum scientiam coniungas, aperiet. Atque huius quidem consilii TVI, bene fortiterque suscepti, quum eum TIBI finem statueris, quo perueniri sine præclaro, aut rei eruditorum publicæ, aut æterno eorum, qui diuino nostræ salutis sponsori nomen profitentur, commodo non potest: non adeo iam opto; confido potius, fore, vt comprobatarum musis nostris contentionum TVARVM eum esse, olim intelligas, benignissimo summi numinis decreto terminum constitutum, quem sine vllo merito suo multi, cum gloria paucissimi, adtingunt. Vale D. Ienæ. d. IIII. maii. A. R. S. CIƆ IƆ CCLIII.

NOBI-

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
RESPONDENTI
S. P. D.
IO. GEORG. RVPRECHTVS
DISSENTIENS

Ex quo cum Ienensibus Musis me delectaui, nunquam tanto perfusus sum gaudio; quam quum TE, antistitem amicorum, praesens in arenam descendere videam. Ea, quam a prima adolescentia coluimus et sancte adhuc seruamus, amicitia etsi ita est comparata, vt me ad laudes TVAS extollendas incitare possit; tamen grauiora multa argumenta habeo, cur Te suspiciam. Insignis enim ingenii TVI praestantia et eruditionis opes, quas collegisti, sicut alios; ita etiam me ad TE admirandum imitandumque excitant. Quanta enim cura, studio, labore litteris sanctioribus non solum; sed et elegantioribus TE dicaueris, satis patet TVque ipse hac in praeclara dissertatione ostendis, quam multo ingenii acumine, eruditione, gloriaque defendendam sumsisti, atque ita defendes, vt non nisi omnibus victis, victor domum redeas. Gratulor itaque TIBI, politissime VNOLDE, de egregio hoc solidioris eruditionis documento: gratulor plausus, quos nunc omnes TIBI tribuunt; patria vero breui dabit; nihilque exopto magis; quam vt deus in posterum TVOS labores fortunatos esse velit: patria, TIBI mihique exoptatissima, studiorum TVORVM, doctrinae, diligentiae, amplissima praemia, quod facere consueuit lubenterque facit, largiatur; TV vero me, quem non nisi hodie a sententia TVA discedentem deprehendisti, fauore atque amore TVO dulci optatoque dignum existimare pergas, amicitiamque TVAM mihi conserues.

Ceterum vale TVASque res age feliciter! Ienae d.
IIII maii A. R. S. CIƆIƆCCLIII.

* * *

BS 3619 .9 .Wa1	Walchia Architriclinus Joannis II, 8. 379010

379010
Walchius
Architriclinus
Joannis II, 8